J. G.

425

GUILELMI OUGHTRED AETONENSIS,

quondam Collegii Regalis in CANTABRIGIA Socii,

CLAVIS MATHEMATICÆ DENVO LIMATA,

Sive potius

FABRICATA.

Cum aliis quibusdam ejusdem Commentationibus, quæ in sequenti pagina recensentur.

Editio tertia auctior & emendatior.

OXONIÆ,
Excudebat LEON. LICHFIELD, Veneunt apud THO. ROBINSON. 1652.

Tractatus, qui ſequuntur, hi ſunt.

AD LECTOREM.

Conscripsi olim in Familia Illustrissimi nuper Comitis *Arundeliæ* & *Surriæ*; cum ex filiis ejus alteri in disciplinis Mathematicis exponendis deservierim, ordinem quendam, qui mihi ad mysteria Mathematica videbatur appositissimus, ut studiosorum, qui ipsum secuturi sunt, animi scientiis illis, non leviter & superficie tenùs tingantur, sed intimè & radicitùs imbuantur. Hunc meum ordinem multorum virorum doctorum, maximè verò nobilissimi illius eruditissimíque Dni *Caroli Cavendish* hortatu, in publicum sub titulo *CLAVIS MATHEMATICÆ* primò emisi. Tractatus quidem ille, non methodo (sicut vulgò fit) Synthetica, per Theoremata atque Problemata longo verborum ambitu descriptus, sed via inventionis Analytica, (ita ut totus sit quasi demonstratio continua nexibus firmissimis compaginata) & non tam verbis quàm rerum speciebus depictus, primo adspectu difficultatem peperit in multis, qui forma tradendi insitata territi, Chimæram aut Sphyngem aliquam imaginabantur: Verùm ſiquis, præjudicii hæc terriculamenta adſpernatus, attentè præſentíque animo hanc viam ingrediatur, rem videbit maximè facilem & conſpicuam. Nam ſpecioſus hic atque ſymbolicus modus, nec memoriam verborum multiplicitate torquet, nec phantaſiam rerum multarum comparatione atque dijudicatione onerat ac diſtrahit; ſed operationis atque argumentationis totius proceſſum conſpectui repræſentans: Theorema denique profert, non uni tantum genti intelligendum, ſed omnium, quotquot ſunt ubique terrarum, nationum linguis (modò de notis conſtet) efferendum.

Animi quidem mei ſenſus & votum, tum in prima Clavis meæ formatione, tum in ſecunda limatione, ſive potius nova fabricatione, fuit, ut Matheſeos ſtudioſis quaſi Ariadnes filum porrigerem, quo ad intima harum ſcientiarum adyta deducantur, & ad optimos antiquiſſimóſque Authores, *Euclidem*, *Archimedem*, *Apollonium Pergæum* magnum illum Geometram, *Diophantum*, ac reliquos, facilius penitiúſque intelligendos dirigantur; eorumque non propoſitiones modo addiſcant, quod pleriſque Mathematicis ſcientiæ quaſi culmen eſt & faſtigium; Sed etiam percipiant qua ſolertia, quibus æquationum, interpretationum, comparationum, reductionum, converſionum, atque diſquiſitionum moliminibus priſci illi heroës ſcientiam hanc pulcherrimam ornaverint, auxerint, invenerint.

Mihi quidem in illis legendis verſanti, & demonſtrationes ingenioſiſſimas ex incogitatis & inexpectatis,

ſed divino quodam artificio conquiſitis, principiis adeò affabrè concinnatas animadvertenti admirantíque ſtupor incidit, unde tanta exiſteret imaginationis vis, quæ tam immenſam conſequentiarum molem ſuſtinere poſſet, faceréque ut tot res, tam longe diſſitæ animo ſimul obverſentur, & quaſi ultrò in argumenti unius ſtructuram coëant atque conſidant.

Quapropter ut ipſas res clariùs intuerer, propoſitiones & demonſtrationes verborum integumentis exutas, brevibus tantùm ſymbolis ac notis oculis etiam ipſis uno obtutu perſpiciendas deſignavi. Tum Theorematum affectiones varias in æqualitate, proportione, affinitate, atque dependentia, conferendo nova elicere tentavi. Denique quæſtiones conſimiles problematicè fingendo, eaſque quaſi jam confectas, via Analytica in ſua principia reſolvendo, rationes ac media, quibus conſtruantur inveſtigavi. Hinc tandem (non niſi plurimorum annorum uſu atque experientia) præceptorum illa qualiſcunque ſeges emerſit.

Non erat mihi animus, jam ad extremam ſenectutem appropinquanti, poſt *primam* hujuſce Clavis Editionem, in hanc iterum arenam prodiiſſe. Sed Venerabilis Vir Dn: *Sethus Ward*, Collegii Sidneienſis in Academia Cantabrigienſi tum Socius, nunc in Oxonienſi Profeſſor Aſtronomiæ Savilianus, Vir prudens, pius, ingenuus, nec Matheſi ſolùm, ſed & omni politioris literaturæ genere cultiſſimus, (qui primus Cantabrigiæ Clavis meæ uſum expoſuit) mei videndi & cognoſcendi deſiderio, domi me latitantem longo itinere

itinere perquisivit; cujus importuno hortatui, ut libellum illum sub *secunda* lima correctiorem auctiorémque quorundam, ex multis quæ apud me erant, adjectione ederem, resistendi facultas non erat. Accessit & alter hortator vehemens Dn. *Carolus Scarbrough* Doctor Medicinæ, suavissimis moribus, perspicacissimóque ingenio Vir, cujus tanta est in Mathesi solertia, & supra fidem fælix tenaxque memoria, ut omnes Euclidis, Archimedis, aliorúmque nonnullorum ex antiquis propositiones & demonstrationes recitare ordine & in usum proferre potis sit. Horum ego duorum judicio de meis lubens acquiesco, Ii enim sunt quos celeberrimæ totius Europæ Academiæ, Mathematicarum aliarúmque artium humaniorum Professores meritò amplexentur.

Quod autem a mendis illis Typographicis, quibus priores nimium scatebant, repurgata hæc *tertia* editio exhibeatur (quod in hujusmodi scriptis maximi sit momenti) curæ illud debetur Venerabilis Viri Dn. *Joannis Wallis*, Collegii Emanuëlensis Cantabrigiæ non ita pridem Alumni; deinde Collegii Reginalis ibidem Socii; nunc apud Oxonienses Geometriæ Professoris Saviliani; Viri ingenui, pii, industrii, in omni reconditiore literatura versatissimi, in rebus Mathematicis admodum perspicacis, & in enodatione explicationéque Scriptorum intricatissimis *Zipherarum* involucris occultatorum (quod ingenii subtilissimi argumentum est) ad miraculum fælicis. Huic enim ille editioni adornandæ ultrò se offerens, & Calculi maximam partem examinavit, & Operas perpetuo auxilio, atque assidua inspectione adjuvit.

Denique

Denique non sine piaculo omittam amantissimum mei Dn. *Robertum Wood* Collegii Lincolniensis Socium, Philosophiæ atque Medicinæ studiosum, Virum optimum atque doctissimum, qui non calamo solùm, & scriptorum examinatione, nequid fortè mihi in computationibus erroris exciderit, amicum præstitit officium, sed etiam bene maximam horum partem Anglicè non ita pridem edendam transtulit.

Partem autem illam quæ Geometricam Horologiorum Sciotericorum rationem tradit, ex Anglico idiomate in Latinum vertit Dn: *Christophorus Wren*, Collegii Wadhamensis Commensalis Generosus, Admirando prorsus ingenio Juvenis, qui nondum sexdecim annos natus, Astronomiam, Gnomonicam, Staticam, Mechanicam præclaris inventis auxit, ab eoque tempore continuo augere pergit; & revera is est à quo magna possum (neque frustra) propediem exspectare.

Huic Clavi Mathematicæ, post primam editionem, accedit I, Affectarum quovis modo Æquationum in numeris luculenta resolutio. II, Elementi Euclidis Decimi declaratio. III, Elementorum Euclidis Decimi tertii & Decimi quarti de Solidis Regularibus illustratio. IV, Sex Theorematum fundamentalium circa Anatocismum inventio. V, Regulæ falsæ positionis demonstratio Analytica. VI, Theorematum Archimedis de Sphæra & Cylindro declaratio. VII, Horologia Scioterica in Plano, Geometrica delineandi Methodus. Ultimò, inveniet etiam hîc lector Logisticæ decimalis (quam præ sexagenaria illa Mathematices studiosis, præsertim

in

in computationibus Astronomicis, commendatam esse cupio) regulas breves interſertas: una cum Multiplicationis & Diviſionis contractione admodum neceſſaria: Et Logarithmorum uſum, quantum ſatis eſt.

Horum ego pleraque cum ante plurimos annos, in gratiam & uſum nobiliſſimi eruditiſſimíque Domini *Gerardi* Domini *Aungier* Baronis de *Longford*, hominis veræ pii atque Christiani, doctíque non modò ſermonis utriuſque linguæ, ſed & Hebraïcæ aliarúmque linguarum Orientalium, ac utriuſque philoſophiæ, & de me optimè meriti, ſcripſerim; jure eum ſuo reticendo fraudare pro piaculo duxerim. Is enim eſt, quo fautore atque Mœcenate gloriari pro ſummo honore habeam.

I.

Index Capitum.

I. CLAVIS MATHEMATICAE.

II. De

VIII. Ho-

Index Capitum.

CLAVIS

CLAVIS MATHEMATICÆ DENUO LIMATA.

CAP. I. *De Notatione.*

1. TAbella admodum utilis, non modò pro numerorum Notatione, quam primâ facie exhibet; sed etiam in omni computatione per numeros tum communes, tum figuratos, tum artificiales, qui vulgò Logarithmi dicuntur.

Integri. Partes.

9	8	7	6	5	4	3	2	1	0	$\bar{1}$	$\bar{2}$	$\bar{3}$	$\bar{4}$	$\bar{5}$	$\bar{6}$	$\bar{7}$	$\bar{8}$	$\bar{9}$	&c.
M	M	M	M	M	M	M	C	X	I	X	C	M	M	M	M	M	M	M	
M	M	M	M	C	X	I						I	X	C	M	M	M	M	
M	C	X	I												I	X	C	M	

2. In hâc tabellâ numeri ſuperiores ſunt Indices ſive exponentes terminorum utrinque ab unitate continuè proportionalium; affirmativi in integris, negativi in partibus. Eſtque progreſſio in decuplâ ratione versùs ſiniſtram, & in ſubdecuplâ versùs dextram; ſicut literæ numerales ſubſcriptæ oſtendunt.

 Eſt

Eſt igitur progreſſio ab unitate in integris, 1, 10, 100, 1000, 10000: Et in partibus, 1, $\frac{1}{10}$, $\frac{1}{100}$, $\frac{1}{1000}$, $\frac{1}{10000}$: Et ſic in infinitum.

3. Atque hoc modo in omni aliâ Progreſſione, terminis ab unitate quacunque ratione ſive creſcentibus, ſive decreſcentibus, Indices ſui erunt apponendi.

4. Tabellam quidem in decimali ratione ordinavi, tum ut numerorum quorumcunque (ſive Integri ſint, ſive partes, ſive mixti) valores per gradus & periodos æſtimentur: tum quia Logiſtica hæc decimalis ſexagenariâ, in computationibus Aſtronomicis, multò facilior eſt atque concinnior. Hoc planè perſpexit, quicunque is fuit, qui primus canonem Sinuum à ſemidiametro 60, ad 1 cum circulis annexis, revocavit. Utinam idem etiam in aliis canonibus fieret.

5. Partes decimales ſcribuntur in unâ lineâ cum integris, diſtinguuntur autem lineolâ rectangulari, quæ idcircò *ſeparatrix* dicitur. Et quemadmodum in integris, quilibet ab unitatum loco gradus augetur verſùs ſiniſtram decuplando: ſic in partibus decimalibus, quilibet ab unitatum loco gradus minuitur verſus dextram ſubdecuplando.

6. Partes decimales denominationem ſuam ſortiuntur à loco figuræ ſuæ ultimæ: ut 0|5 ſunt 5 decimæ partes: 0|56 ſunt 56 centeſimæ partes: 0|056 ſunt 56 milleſimæ partes, & ſic de reliquis omnibus.

7. Circuli ante integros, vel poſt partes decimales nihil valent: at verò poſt integros, & ante partes decimales (hoc eſt, utrinque lineæ ſeparatrici proximi) vim ſuam retinent: nam gradus conſtituunt quibus figurarum valores cenſentur: ut 0005, ſignificant tantummodo 5: & 0|500, 5 ſunt decimæ partes.

8. Quare in partibus decimalibus ſcribendis, linea ſeparatrix ſemper apponatur; & loci, ſi qui ſunt, vacui, circulis ſuppleantur: ut 0|00005 ſunt 5 centies milleſimæ partes.

9. Signum addendi ſive affirmationis eſt + plus, ſive pl: ut 34, vel + 34.

10. Signum minuendi ſive negationis eſt — minus, ſive mi: ut —34, negantur omninò eſſe.

11. Pertinet autem ſignum ad magnitudinem ſequentem, cui præfigitur. Et omnis magnitudo, cui non eſt præfixum ſignum negationis, intelligitur eſſe affirmata, & habere ſignum +, licet non ſit expreſſum.

12. Et nota quod ſignis + & - utor, quando ſimplex magnitudo affirmatur vel negatur de ſimplice: ſignis autem pl: & mi: quando magnitudo compoſita affirmatur vel negatur de ſimplice, vel ſimplex de compoſitâ.

13. Magnitudines denotari poſſunt vel numeris menſuram ipſarum ſignificantibus, vel etiam ſpeciebus: ut linea longa ſeptem uncias, deſignatur vel per 7; vel per unam aliquam literam aut notam, A, B, C, &c; vel per duas literas terminis lineæ adſcriptas, AB, BC, CD, &c. pro libitu: modò memoriâ teneas pro quâ magnitudine ſpecies quælibet ſtatuitur.

14. Speciosa hæc Arithmetica arti Analyticæ (per quam ex sumptione quæsiti, tanquam noti, investigatur quæsitum) multo accommodatior est, quam illa numerosa. Nam in numerosâ, numeri à novo, quem proferunt, ita absorbentur, ut penitus dispareant, nec ullum sui vestigium relinquant: At in speciosâ, permanent species sine aliquâ mutatione, specimen exhibentes totius operationis: unde non solùm in quæsiti notitiam ducunt, sed etiam Theorema generale pro solutione consimilium quæstionum, in aliis magnitudinibus datis, edocent.

Cap. II. *De Additione.*

1. NUmerus inventus per Additionem, dicitur Summa, vel Aggregatum. Ut 3 & 7 constituunt 10.

2. Additio incipit ad dextram, & summas singulorum locorum particulares inventas subscribit, in locis suis propriis.

3. In Additione omnes numeri dati simul æquantur Summæ.

Exempla

Exempla Additionis.

		l.	s.	d.
79403	3794|236	17	13	4
8956	584|3	9	16	7
67293	947|08	238	09	6
5087	4720|7439	70	00	10
160739	48|5	48	10	3
	10094 8599	384	10	6

4. Additio speciosa conjungit omnes magnitudines datas servatis signis

ad	3A	A	5 A	3 A	A
adde	A	-A	—3	—5A	E
Sũma	3A+A	A-A	5A - 3 A	3 A - 5 A	A+E
hoc est	4A	o	2A	- 2 A	

			Sic in Indicum Additione		
ad	A+B	A+B		3	$\bar{3}$
adde	A-B	A-C		$\bar{2}$	2
Summa	2 A	2 A + B - C		1	$\bar{1}$

Cap. III. *De Subductione.*

1. NUmerus inventus per Subductionem dicitur Reliquus, vel Differentia, vel Excessus. Ut è 7 tolle 3, restat 4.

2. Subductio incipit ad dextram, & differentias ſingulorum locorum particulares inventas ſubſcribit, in locis ſuis propriis.

3. In Subductione, numerus ſubducendus, unà cum differentiâ, æquatur numero ex quo.

Exempla Subductionis.

		l.	s.	d.
347206836	3794|236	17	13	4
6807592	947|08	9	16	7
340399244	2847|156	7	16	9

4. Subductio *ſpecioſa* conjungit utramque magnitudinem datam, mutatis omnibus ſignis magnitudinis ſubducendæ.

Ex	4 A	3 A	5 A	A
tolle	A	-5 A	-3 A	E
Reſtat	4 A-A	3 A-5 A	5 A+3 A	A-E
hoc eſt	3 A	-2 A	8 A	

Ex	A	A	Sic in Indi-	$\bar{3}$	$\bar{3}$
tolle	B+C	B-C	cum ſub-	$\bar{2}$	2
Reſtat	A-B-C	A-B+C	ductione.	5	$\bar{5}$

Cap. IV. *De Multiplicatione.*

1. NUmerus inventus per Multiplicationem, dicitur Factus, vel Productus, vel Rectangulum, vel Planum. Nam unus è numeris propoſitis habetur

betur pro longitudine, alter pro latitudine: & numeri propoſiti dicuntur Factores atque Latera. Maxima quippe binarum magnitudinum poteſtas, eſt figura ex ipſis compoſita, cujus anguli ſunt recti, & latera parallela.

2. Multiplicatio incipit ad dextram, & ſingulas figuras unius numeri dati, in ſingulas alterius figuras ducit: & factos demum, habitâ locorum ratione, in unam ſummam colligit. Et ſi partes decimales numeris propoſitis ſint admixtæ, è toto facto tot locos lineâ ſeparatrice abſcindit, quot ſunt loci partium in utroque factore. Nam in Multiplicatione Index cujuſque particularis figuræ facti, invenitur addendo Indices figurarum multiplicatæ & multiplicantis, Sic 58|73 ductus in 600, facit 35238. Nam Index figuræ 6 in 600, eſt 2: & Index ultimæ figuræ 3 in 58|73 eſt $\bar{2}$. addantur Indicès 2 & $\bar{2}$, extabit 0 pro Indice ultimæ figuræ facti 35238: quæ idcircò pertinet ad locum unitatum. Et conſimilis reliquarum figurarum in facto cenſura gradualis inſtitui poterit.

3. Si è numeris propoſitis, unus, vel uterque, adjunctos habeat ad dextram circulos: omiſſis circulis, fiat ipſorum numerorum Multiplicatio: & facto demùm tot inſuper integrorum loci accenſeantur, quot ſunt omiſſi circuli in utroque factore.

4. In Multiplicatione eſt, ut unitas, ad unum è factoribus: Sic alter è factoribus, ad factum. Ut ſi ducatur 4 in 6 fiet 24: Eſt igitur 1. 4: : 6.24: vel 1.6 : : 4.24.

Exempla Multiplicationis.

4576	580|34
892	47|5
9152	290170
41184	406238
36608	232136
4081792	27566|150

358	5873
600	600
214800	35238

5. Contractio Multiplicationis, in Logistica valdè utilis, sic est. Si instituto tuo sufficiat habere factum non integrum, sed multatum aliquot ex ultimis figuris: statues unitatis locum minoris numeri, sub illâ figurâ majoris, cujus Index æqualis sit numero figurarum, vel abscindendarum in integris vel relinquendarum in partibus decimalibus: Et reliquas figuras minoris numeri, sub numero majore ordine inde contrario. Tum in multiplicando incipies ubique ad illam figuram majoris numeri, quæ est supra eam figuram minoris, quâ multiplicatur: habitâ tamen ratione incrementi, quod ex subsequentibus figuris majoris numeri suppeditatur. Hujus compendii casus sunt quatuor.

Casus I. Si velis factum habere purum à partibus: Statues unitatis locum minoris sub unitatis loco

co majoris. Ut in exemplo, ubi 246|914 ductus in 35|27 producit 8708 integros, abscissis omnibus partibus decimalibus.

246|914
72|53
7407
1235
49
17
8708

Casus II. Si velis habere factum cum locis aliquot partium, puta quatuor: Statues unitatis locum minoris numeri sub quarto loco partium majoris. Ut in priore exemplo, factus erit 8708|6568 mixtus cum quatuor locis partium.

246|914
72|53
74074200
12345700
493828
172840
8708|6568

Casus III. Si velis factum multatum aliquot locis integrorum, puta quinque: statues unitatis locum minoris numeri loco quinto ante unitatis locum majoris. Ut in exemplo, ubi 80902 sinus graduum 54 multiplicandus est per 39875 sinum maximæ declinationis 23° 36: prodibit 32260 sinus declinationis solis ad ♉ 24°.

80902
57893
24271
7281
647
57
4
32260

Casus

Caſus IV. Si velis factum multatum locis integrorum, puta quinque, reparari aliquot locis partium, puta quatuor. Quia $5-4=1$: Statues unitatis locum minoris numeri uno loco ante unitatis locū majoris. Ut in exemplo ubi ſinus 42262 multiplicatur per 0,0064, ita ut abſciſſis à facto quinque figuris ultimis, reſtituantur quatuor loci partium: Factus erit 0,0027.

$$\begin{array}{r} 42262 \\ 46000 \\ \hline 25 \\ 2 \\ \hline 0{,}0027 \end{array}$$

6. Multiplicatio *ſpecioſa* connectit utramque magnitudinem propoſitam cum notâ in vel ×: vel plerumque abſque notâ, ſi magnitudines denotentur unicâ literâ. Et, ſi ſigna ſint ſimilia, producta magnitudo erit affirmata: ſin diverſa, negata. Effertur autem per in.

Et nota, quòd A in A, ſive A×A, ſive A A, eſt Aq. AAA ſive AqA, eſt Ac. AAAA, ſive Aq Aq, ſive AcA, eſt Aqq. AAAAA, ſive AcAq, ſive AqqA, eſt Aqc. AAAAAA, ſive Ac Ac, ſive Aqq Aq, ſive AqcA, eſt Acc, &c. Nam poteſtas quælibet ſuperior fit ex duabus inferioribus, quarum dimenſiones ſimul æquantur numero dimenſionum ſuperioris. Quot autem magnitudines ſunt quæ multiplicantur, totidem ſunt dimenſiones.

Duc	A	A+E	A−E	A+E+I	B+1
in	E	B	B	Z	A
fiet	AE	BA+BE	BA−BE	ZA+ZE+ZI	BA+A

Duc	3A	AE	AE	A+E	A+E
in	2A	A	AE	A+E	A−E
fiet	6Aq	AqE	AqEq	Aq+AE +AE+Eq Aq+2AE+Eq	Aq+AE −AE −Eq Aq−Eq

Ad hunc etiam modum Multiplicatio fiet ſi magnitudines conſtent binis literis. Ut ſi latus AB+CD multiplicandum ſit in ſe, producetur quadratum ABq+2AB×CD+CDq.

Cap. V. *De Diviſione.*

1. Numerus inventus per Diviſionem dicitur Quotus, vel etiam Parabola: quia oritur ex applicatione numeri plani ad longitudinem datam, ut inveniatur latitudo congrua. Et ſi numerus ad numerum applicetur cum lineolâ interjectâ, oſtendit quod numerus ille ſuperior dividendus ſit per inferiorem, ad quem applicatur: ut $\frac{12}{4}$ & $\frac{5}{12}$.

2. Diviſio incipit ad ſiniſtram: & poſtquam ex dividendo ſufficientem diviſori dividuum diſtinxerit, & ſub ipſo diviſorem ſubſcripſerit, vel ſaltem ſubſcriptum cogitaverit: ſingulas figuras diviſoris ex ſingulis ipſius dividui figuris ſupra ſtantibus, æqualiter, quoties fieri poterit, tollit: Tum diviſore per quotum inventum multiplicato, factoque ablato ex dividuo, diviſorem in locum proximè ſequentem promovet, novamque uti prius diviſionem inſtituit; donec totum dividendum percurrerit. Quilibet au-

tem quotus particularis inuentus, ejuſdem debet eſſe loci, ſive gradus, cujus eſt figura dividendi, quæ ſtat, vel cogitatur ſtare ſupra unitatis locum diviſoris. Nam in Diviſione, Index cujuſque particularis figuræ Quoti, invenitur tollendo Indicem figuræ diviſoris ex Indice figuræ diviſæ. Sic 171|4 diviſus per 857, dat 0|2 pro Quoto. Index enim primæ figuræ dividuæ 17 eſt 1; & Index primæ figuræ diviſoris 8 eſt 2: Tollatur 2 ex 1, reſtabit ī pro Indice primæ figuræ: quæ idcircò pertinet ad locum primum partium decimalium.

3. Et ſi diviſor adjunctos ſibi habeat ad dextram circulos: omiſſis circulis, & abſciſſis totidem ultimis figuris dividendi, in numeris reliquis fiat diviſio. In fine autem diviſionis reſtituendi ſunt, tum omiſſi circuli tum figuræ abſciſſæ.

4. In Diviſione eſt, ut Diviſor ad unitatem, ſic dividuus ad Quotum: vel ut dividuus ad diviſorem, ſic Quotus ad unitatem. Ut diviſo 24 per 6, quotus erit 4: Eſt igitur 6.1::24.4: Item 24.6::4.1.

5. Si magnitudo facta ſit ex duabus magnitudinibus, una ex iis ipſam per alteram metietur.

6. In Multiplicatione, atque Diviſione, unitas nihil mutat.

7. Si numerus numerum multiplicet, idemque factum dividat, nihil fit. Nam quod multiplicatio conficit, Diviſio diſſolvit. Quare in applicatione magnitudinis ad magnitudinem, ſi eadem magnitudo ſit tum ſupra lineam, tum infra, expungatur utrobique.

Exempla

Exempla Diviſionis.

12
8921317
297) 187135078 (630084 $\frac{127}{297}$
178213768
892118
2901
435257

580|34) 27566150 (475
23213680
406237
2901

187135075 (630084 $\frac{127}{297}$
297
1782
893
297
891
2507
297
2376
1315
297
1188
127

6|000) 4320765 (7201275

8. Ali-

8. Aliquando numerus aliquis dividi poſtulatur per numerum irrationalem, vel infinitum, ſive integer ſit, ſive mixtus. Atque in hoc caſu, ſumptis, quot opus eſt, è primoribus figuris diviſoris pro primo diviſore, per ipſas divides numerum propoſitum: deinde pro ſingulis particularibus diviſionibus ſubſequentibus, diviſorem minues amputando verſus ſiniſtram totidem ultimas figuras, donec quotum ſatis amplum inveneris: ut ſi dividantur 467023 per numerum infinitum 357(0926425, Quotus erit 1307(80 ferè.

17
303
2803
109930
357(09 26425) 467023 (1307 80---
357093
107127
2500
286

Pulcherrima hæc eſt Diviſionis contractio, & maximi uſus in computationibus Aſtronomicis. Ut ſi per 137638 dividendus ſit 126223 ductus in ſinum totum, hoc eſt auctum quinque circulis: Appones tantummodò unum circulum: & pro quatuor reliquis minues diviſorem. Ut
137638) 1262230 (91707.

9. Diviſio *ſpecioſa* ſtatuit magnitudinem dividentem ſub dividendâ, cum lineolâ interjectâ: tum conſiderat

ſiderat an magnitudo aliqua utramque communitèr multiplicaverit; atque ipſam utrobique expungit. Diviſio autem in iiſdem ſignis dat +, in diverſis -: autem per ad.

Applica	AE	BAc	BA+A	BA-CA	6Aq	ſcil. $\frac{2 \times 3\ Aq}{3\ A}$
ad	A	Aq	A	B-C	3A	
Oritur	E	BA	B+1	A	2A	2 A

Cap. VI. *De Proportione.*

1. Si è quatuor numeris datis, primus ita ſe habeat ad ſecundum, ut tertius ad quartum: dicuntur quatuor illi numeri eſſe proportionales. Numerorum autem ad ſe invicem habitudo invenitur dividendo antecedentem per conſequentem: ut 31 ad 7 ratio eſt $4\frac{3}{7}$, hoc eſt quadrupla ſupertripartiens ſeptimas.

2. Quare ſi numerus duos numeros multiplicet, facti erunt multiplicatis proportionales. Et ſi numerus duos numeros dividat, quoti erunt diviſis proportionales.

Ut 4 × $\begin{cases} 7.\ 28. \\ 9.\ 36. \end{cases}$ & 4) $\begin{matrix} 28\ (7. \\ 36\ (9. \end{matrix}$

Item A × $\begin{cases} B.\ BA. \\ C.CA. \end{cases}$ & A) $\begin{matrix} BA.\ B. \\ CA.C. \end{matrix}$

3. Quare ſi quatuor numeri ſint proportionales, factus ab extremis æquatur facto à mediis. 7. 9 :: 7×4. 9×4 :: 28. 36. At 7×9×4 = 9×7×4.

4. Hinc ſequitur aurea (quæ dicitur) regula Proportionis.

portionis. Si è tribus numeris datis, rectangulum ſub ſecundo & tertio applicetur ad primum: hoc eſt, ſi ſecundus multiplicet tertium, & primus dividat factum: quotus erit tribus datis quartus proportionalis. Tres numeri dati ſunto 7, 9, 28: & pro quarto quæſito ſtatuatur Q. Eſt igitur 7. 9 :: 28. Q. Quare $7Q = 9 \times 28$. Ideoque $\frac{9 \times 28}{7} = Q$. Item 5. 12 :: 8. $\frac{8 \times 12}{5}$, hoc eſt $19\frac{1}{5}$.

5. E tribus numeris datis ad quartum Proportionalem inveniendum, duo primi innuunt rationem, & reliquus ingreditur quæſtionem; eſtque in Proportione Directâ primus terminus (ſive Diviſor) homogeneus ei per quem fit quæſtio: At in Proportione Reciprocâ primus terminus (ſive Diviſor) ipſe eſt per quem fit quæſtio.

6. Directa quidem Proportio eſt, quando terminus is per quem fit quæſtio, quô major eſt, eô quartum majorem requirit: & quo minor eô minorem.

7. Reciproca Proportio eſt, quando terminus is per quem fit quæſtio, quô major eſt, eô quartum minorem requirit: & quô minor, eô majorem.

8. Proportio continua ∺ eſt, quando termini omnes medii inter primum & ultimum, rationum ſunt tum conſequentes, tum antecedentes. Ut 8, 12, 18, 27, ſunt ∺. Nam 8. 12 :: 12. 18 :: 18. 27.

Item $\alpha, \beta, \frac{\beta q}{\alpha}, \frac{\beta c}{\alpha q}, \frac{\beta qq}{\alpha c}, \frac{\beta qc}{\alpha qq}$, &c. ſunt ∺

Quare ſi in hâc ſerie ultimus terminus ſit ω, & ſumma omnium terminorum totius progreſſionis ſit Z: erit $Z - \omega$ ſumma omnium antecedentium: & $Z - \alpha$ ſumma omnium conſequentium.

9. Si

9. Si quatuor magnitudines ſint proportionales, A. α :: B. β: etiam alternè, & inverſè, & compoſitè, & diviſim, & converſè, & mixtim proportionales erunt,

	A. α ::	B. β.
alternè,	A. B ::	α. β.
inverſè,	α. A ::	β. B.
compoſitè,	A+α. α ::	B+β. β.
vel,	A+B. B ::	$\alpha+\beta$. β.
diviſim,	A−α. α ::	B−β. β.
vel,	A−B. B ::	$\alpha-\beta$. β.
converſè,	A. A ± α ::	B. B ± β.
vel,	A. A ± B ::	α. $\alpha \pm \beta$.
mixtim,	A+α. A−α ::	B+β. B−β.
vel,	A+B. A−B ::	$\alpha+\beta$. $\alpha-\beta$.

10. Si quotlibet magnitudines ſint proportionales, erit ut unus antecedens, ad ſuum conſequentem; ſic ſumma antecedentium, ad ſummam conſequentium. Eſto A. α :: B. β :: C. γ :: D. δ: erit A. α :: A + B + C + D. $\alpha + \beta + \gamma + \delta$.

Nam $\begin{cases} \text{A. } \alpha :: \text{B. } \beta. \ \text{\& compoſitè} \\ \text{A+B. } \alpha+\beta :: (\text{B. }\beta ::)\ \text{C. } \gamma \ \text{\&} \\ \text{A+B+C. } \alpha+\beta+\gamma :: (\text{C. }\gamma ::)\ \text{D. } \delta. \ \text{\&c.} \end{cases}$

Item in ∺, α. β :: $Z-\omega$. $Z-\alpha$. Quare $\alpha Z - \alpha q = \beta Z - \beta\omega$. vel $\beta Z - \alpha Z = \beta\omega - \alpha q$.

Hinc obitèr liquet inventio ſummæ omnium terminorum ∺, ſive Progreſſionis Geometricæ: per hanc Regulam $\left\{ \frac{\beta\omega - \alpha q}{\beta - \alpha} = Z. \right.$

11. Si plurium proportionum antecedentes ſint æquales; erit ut unus antecedens, ad ſummam ſuorum conſequentium: Sic alter antecedens ad ſummam

C ſuorum

ſuorum. Eſto A. B:: $\alpha.\beta$: & A. C:: $\alpha.\gamma$:: & A. D:: $\alpha.\delta$: erit A. B+C+D:: $\alpha.\beta+\gamma+\delta$. Liquet ex priore demonſtratione, terminis alternè poſitis.

12. Si binarum rationum conſequentes ſint æquales, ſunt ut antecedentes. Si verò antecedentes ſint æquales, ſunt reciprocè ut conſequentes.

$\frac{7}{1}.\frac{9}{1}: 7.9.$ Et $\frac{1}{9}.\frac{1}{7}:: 7.9.$

13. Si bis quatuor magnitudines ſint ſimiliter proportionales; ipſarum etiam tum ſummæ, tum differentiæ proportionales erunt.

14. Si quatuor magnitudines proportionales, per alias quatuor magnitudines proportionales multiplicentur, vel dividantur: etiam Factæ, vel Quotæ, proportionales erunt. Sequitur ex 3.

15. Ratio antecedentis ad conſequentem componitur, vel ex ratione antecedentis ad tertium, & tertii ad conſequentem: vel ex ratione tertii ad conſequentem, & antecedentis ad tertium. Ut

$$7.9::\times\begin{cases}7.\ A.\\ A.\ 9.\end{cases}\quad \text{Item } 7.9::\times\begin{cases}A.\ 9.\\ 7.\ A.\end{cases}$$

16. Inventio quarti proportionalis in computationibus Aſtronomicis.

Si 100000 ſit primus terminus, invenitur quartus per 5; Cap. 4. Caſ. 3. Ut

100000. 80902:: 39875.32260.

Si 100000 ſit ſecundus terminus, invenitur quartus per 8, Cap. 5. Ut

137638. 100000:: 126223.91707.

17. Inventio partis proportionalis ex datâ differentiâ duorum numerorum in Canone Proſthaphæreſeωn.

In tabulis Prutenicis, Ad epicyli primi Lunæ Anomaliam Gr: 62, Proſthaph: ablativa eſt Gr: 4|1786. & Differentia ibidem Gr: 0|0433: Quanta ejus pars debetur Anomaliæ Gr: 62|5667? Dic

1. 0|0433 :: 0|5667. 0|0245 : per cap. 4: ſect. 5. Caſ. II. Tum 4|1786 + 0|0245 = 4|2031: quæ eſt Proſthaph: correcta.

Et contrà ſi quæratur Anomalia primi Epicycli Lunæ, congruens Proſthaphæreſi Grad: 4|2031. Proximè minor in Canone eſt Gr: 4|1786, reſpondens Anomaliæ Gr: 62: Eſtque Differentia ibidem Gr: 0|0433. Eſt autem 4|2031 − 4|1786 = 0|0245. Dic

0|0433. 0|0245 :: 1. 0|566+, partes adjungendæ Gr: 62. Eritque Anomalia quæſita Gr: 62|566+.

18. Converſio partium Sexageſimarum in Decimales & contra Decimalium in Sexageſimales.

Partes Sexageſimæ, puta 45, convertuntur in Decimales, dividendo per 60. Et contra partes Decimales, puta 0|75, convertuntur in Sexageſimas, multiplicando per 60.

$$\left.\begin{array}{l}\text{Ut } 6|0.\ 4|5 :: 1.\ 0|75.\\ \&\ 1.\ 0|75 :: 60.\ 45.\end{array}\right\}\text{Nam}$$

Diviſio per 60, removet lineam ſeparatricem uno loco verſus ſiniſtram, & inſuper dividit per 6. Et Multiplicatio per 60, promovet lineam ſeparatricem uno loco verſus dextram, & inſuper multiplicat per 6. Quæ regula notatu digna eſt.

Si verò plures sint species Sexagesimales annexæ Integris, puta 127° 32′ 00″ 09‴ 45⁗: hoc uteris compendio. Sub Integris 127 statue species Sexagesimales descensu obliquo: Tum facto initio ad infimam, singulas divide continuè per 6: Et quotos suprascriptos ordini proximo superiori adjunges, donec ad Integros perveneris.

127(5333784722 × 6
′32(002708333
″00(1625
‴09(75
6) IV45

Et contra, si partes Decimales dentur, puta 127(5333784722: multiplicabis ipsas continuè per 6; & factos subtus scribes, amputato in singulis ordinibus uno loco versùs dextram; ut descensus obliquus compleatur. Intuere diligenter exemplum.

Gradus Æquinoctialis, cum partibus Decimalibus, puta Grad: 236(4276, convertuntur in partes Decimales diei; dividendo per 360, hoc est 6×60. Et contra, partes Decimales Diei puta 0(6567433: convertuntur in Gradus, multiplicando per 360. hoc est 60×6. Intuere diligenter exemplum.

6) 236(4276
60) 39(4046 ×6
0(6567433: ×60

Gradus Æquinoctialis, cum partibus Decimalibus puta Grad: 236(4276 convertuntur in Horas dividendo per 15, hoc est, 3×5.

3) 236(4276
5) 78(8092 ×3
15(76184 ×5

Et

Et contra, Horæ cum partibus Decimalibus, puta 15(76184 convertuntur in Gradus, multiplicando per 15, hoc est, 5×3.

Horæ cum partibus decimalibus, puta Ho: 15(76184 convertuntur in partes Decimales Diei, dividendo per 24, hoc est, 4×6.

Et contra partes Decimales Diei, puta 0(6567433+, convertuntur in Horas, multiplicando per 24, hoc est, 6×4.

4) 15(76184
6) 3(94046 ×4
0(6567433: ×6

Summa collecta, puta 191374, convertitur in expansam, dividendo continuè per 60, & contrà summa eadem expansa, 53 09 34, convertitur in collectam multiplicando continuè per 60.

Notandum autem hic est, quod si summa collecta sit unitatum, scil: 191374°; expansa erit 53″ 09′ 34°, hoc est 53 Sexagenæ secundæ, 9 Sexag: 1æ, & 34 unitates. Si verò summa collecta sit sexagesimarum secundarum, scil: 191374″; expansa erit 53° 09′ 34″.

19137(4
60) 318(9(3 ×60
53(0

19. Illa quidem proportio, rationum fuit æqualitas & dicitur Geometrica, est autem alia proportio Arithmetica, quæ est æqualitas differentiarum: nempe quando in quatuor terminis, eadem est differentia tertii & quarti, quæ est primi & secundi. Ut 7.4:12.9 vel 7.7-3: 12. 12-3. Arithmeticè proportionales sunt.

20. Quare

20. Quare è quatuor numeris Arithmeticè proportionalibus, ſumma extremorum æquatur ſummæ mediorum $7 + 12 - 3 = 7 - 3 + 12$.

21. Et ſi è tribus numeris datis ſecundus addatur tertio, & primus tollatur è ſumma: reliquus erit quartus Arithmeticè proportionalis. Ut ſi dentur 7, 4, & 12: erit $12 + 4 - 7 = 9$, qui quartus eſt quæſitus.

22. Eſt etiam proportio Arithmetica continua, ſive Progreſſio, quando omnes termini à primo eâdem continuè exſurgunt differentia: Ut 4, 7, 10, 13, 16, 19, &c. Differentia communis omnium eſt 3. Nam in hâc ſerie, primus (& quaſi radix) eſt 4: ſecundus conſtat ex primo & differentiâ unâ: Tertius conſtat ex primo & differentiis duabus: Et generaliter quilibet terminus conſtat ex primo & ex ſummâ differentiarum, quarum numerus uno minor eſt quam numerus terminorum: Exempli gratia, terminus decimus tertius conſlabitur ex primo & differentiis duodecim, quarum ſumma eſt 36. Eſt igitur $4 + 36$, hoc eſt 40, terminus decimus tertius.

23. Si in Progreſſione Arithmetica, primus terminus addatur ultimo, & ſumma ducatur in numerum terminorum: factus erit duplicata ſumma totius Progreſſionis: Nempe $40 + 4$ in $13 = 572$, quæ ſumma eſt terminorum duplicata.

24. Si ſupra ſeriem terminorum in Progreſſione Geometrica, ſtatuatur pro Indicibus, ſeries terminorum qualiumcunque Progreſſionis Arithmeticæ: quibuſlibet quatuor numeris in Arithmetica proportione reſpondebunt quatuor numeri Geometricè proportionales.

Indices,	6.	8.	10.	12.	14.	16.	18.	20.
Termini,	5.	15.	45.	135.	405.	1215.	3645.	10935.

Quia $10 + 16 - 6 = 20$; Erit $\frac{45 \times 1215}{5} = 10935$.

Atque hinc patet inventio termini cujuſvis in Progreſſione Geometrica.

25. Eſt etiam tertia Proportio, Muſica dicta, Quando in quatuor numeris, eſt ut Primus ad Quartum: ſic differentia primi & ſecundi, ad differentiam Tertii & Quarti. Ut 5, 8, 12, 30, ſunt muſicè proportionales: quia $5.\,30 :: 8-5.\,30-12 :: 3.\,18$. Item in ſpeciebus A, M, N, E; Eſto $A.\,E :: M-A.\,E-N$. Quare $AE - AN = ME - AE$. Terminis hiſce rité ordinatis Regula erit, $\frac{AN}{2A-M} = E$. & $\frac{EM}{2E-N} = A$.

In verbis ſic, Si rectangulum ſub primo & tertio dividatur per exceſſum primi duplicati ſupra ſecundum: quotus erit quartus in Muſica proportione. Quare oportet terminos ſic dari, ut primus duplicatus excedat ſecundum.

Cap. VII.

DE MAXIMA COMMUNI MENSURA: quâ numeri dati reducuntur ad minimos terminos ejuſdem rationis.

1. Maxima duorum numerorum communis menſura invenitur perpetua diviſione majoris per minorem, & diviſoris per reliquum. Nam diviſor ille qui primus dividuum ſuum metitur, abſq; ullo

ullo reliquo, maxima erit utriuſque numeri dati communis menſura. Ut numerorum 899 & 744 maxima menſura invenietur 31.

$$\begin{array}{l} \quad\quad 31 \quad 124 \quad 155 \\ 31)\ \cancel{124})\ \cancel{155})\ \cancel{744})\ \cancel{899}(\cancel{1}(\cancel{4}(\cancel{1}(\cancel{4} \\ \quad\quad \cancel{124}\ \cancel{124}\ \cancel{620}\ \cancel{744} \end{array}$$

2. Numerorum reductio ad minimos terminos ejuſdem rationis fit dividendo utrumque per maximam ipſorum communem menſuram. Ut 899 & 744 reducuntur ad 29 & 24, qui minimi ſunt termini in eadem ratione, diviſo utroque per 31 maximam utriuſque menſuram. Sic $\frac{3Aq}{6A}$ reducuntur ad $\frac{A}{2}$ dividendo utrumque terminum per 3A. Et $\frac{4Acc}{6Aqq}$ reducitur ad $\frac{2Aq}{3}$ dividendo per 2Aqq. Item $\frac{BA}{B}$ reducitur ad A, dividendo utrumque per B. Nam quod multiplicatio conficit, diviſio diſſolvit.

3. Quare, Si maxima duorum numerorum communis menſura ſit 1: dicuntur duo illi numeri primi inter ſe: ſuntque minimi in eadem ratione, ut 29 & 24.

4. Si numerus, primus ſit ad utrumque factorem, primus erit ad factum.

Hinc proportionis operatio fieri ſæpenumero poteſt facilior, ut in exemplo.

$$\begin{array}{llll} 1 & & & \\ \cancel{3} & 2 & & 5 \\ \cancel{12}. & 8 :: & \cancel{15}. & 10. \end{array}$$

5. Memento autem diligenter, *Quotieſcunque fractio aliqua, ſive ratio, proponitur, ut ipſam primò ad minimos terminos reducas*, ut $\frac{744}{899}$ fiant $\frac{24}{29}$.

C A P.

C A P. VIII.

De PARTIBUS: *quæ etiam fractiones, ſive numeri fracti, dicuntur.*

1. VNitas (ſive integrum unum quodque) concipi mente poteſt in quotcunque æquales partes diviſibilis: quæ quidem partes denominationem ex numero ſuo, quem unitas continet, ſortiuntur: ut ſi unitas intelligatur dividi in binas æquales partes, dicuntur ſecundæ; ſi in tres, tertiæ: & ſic de reliquis.

2. Scribuntur partes duobus terminis cum lineola interjecta: quorum inferior denotat unitatem diviſam in totidem æquales partes; & dicitur Denominator. Superior verò oſtendit quot ex partibus illis ſignificantur; atque ideò dicitur Numerator. Ut $\left.\begin{array}{l}4 \text{ numerator} \\ 5 \text{ denominator}\end{array}\right\}$ ſignificant quatuor quintas partes, ſive quatuor partes unius integri diviſi quinquifariam.

3. *Quam igitur rationem habet numerator ad denominatorem, eandem habet quantitas ſignificata ad unitatem.* 4.5 :: $\frac{4}{5}$.1. R,S :: $\frac{R}{S}$.1.

4. Et quia ratio quævis terminis innumeris ſimiliter ſeſe adinvicem habentibus (quorum quidem maximi dari nequeunt) poterit exprimi: ſequitur partes etiam eaſdem, non iiſdem ſolummodò numeris, ſed aliis infinitis, poſſe deſignari. Ut quincuncem ſignificant non modo $\frac{5}{12}$, qui minimi ſunt termini in eadem

ratione

ratione, ſed etiam $\frac{10}{24}, \frac{20}{48}, \frac{25}{60}, \frac{45}{108}$: & quotcunque alii numeri fiunt multiplicando 5 & 12 in alium quemvis numerum, per 2 cap. 6.

5. Quare æqualium partium, ſive fractionum, termini ſunt proportionales, & contra.

6. Item, ſi partium numerator minor ſit denominatore, partes ſunt unitate minores: ſi æqualis, ſignificant unitatem: et ſi major, partes unitatem excedunt, eâdem ratione, quâ denominator à numeratore ſuperatur. Reducuntur autem ad unitates dividendo numeratorem per denominatorem: ut $\frac{31}{7}$ ſunt $4\frac{3}{7}$ item $\frac{CR+SA}{R}$ eſt $C+\frac{SA}{R}$. Et contra integri, ſive unitates reſolvuntur in partes cujuſque generis multiplicando unitates per denominatorem earundem partium, ut 1 fiet $\frac{2}{2}$, vel $\frac{3}{3}$, &c. & $4\frac{3}{7}$ fient $\frac{28+3}{7}$, hoc eſt $\frac{31}{7}$. Item $C+\frac{SA}{R}$ fiet $\frac{CR+SA}{R}$

CAP. IX.

DE ADDITIONE ET *Subductione Partium.*

1. SI partes propoſitæ diverſarum ſint ſpecierum: Primò reducendæ ſunt ad eandem denominationem, dividendo denominatores per maximam ipſorum communem menſuram; & multiplicando terminos per alternos quotos. Deinde in numeratoribus

ribus partium inventarum ejuſdem denominationis additio vel ſubductio inſtituenda eſt. Et ſummæ denique, vel differentiæ, communis ille denominator ſubſcribendus.

2 Et ſi integri partibus ſint immixti, ſeorſim tamen ſunt numerandi. Exempli gratia: Ex $6\frac{1}{18}$ tollatur $\frac{13}{16}$ & $2\frac{7}{12}$. Primò addendæ ſunt $\frac{13}{16}$ & $2\frac{7}{12}$ eruntque 2 & $\frac{39+28}{48}$ vel $\frac{67}{48}$, nempe $3\frac{19}{48}$: quibus demptis è $6\frac{1}{18}$ reſtabunt $2\frac{95}{144}$ ut in exemplo

$$\begin{array}{ccc} & 67 & \\ & 39+28 & \\ \cancel{13} & & \cancel{7} \\ - & 2 & - \\ 4)\ \cancel{16} & & \cancel{12} \\ 4 & & 3 \\ & \underbrace{\qquad}_{48} & \end{array} \quad \text{eſt} \quad \begin{array}{ccc} 57 & & 8 \\ \cancel{19} & & 1 \\ 3\ - & \text{è}\ 6 & - \\ \cancel{48} & & \cancel{18} \\ 6)\ 8 & & 3 \\ & \underbrace{\qquad\qquad}_{144} & \end{array} \qquad \begin{array}{l} \text{è}\ 5\,\frac{152}{144} = 6\,\frac{8}{144} \\ -\ \text{tolle} \\ 3\,\frac{57}{144} \\ \text{manet} \\ 2\,\frac{95}{144} \end{array}$$

Adde $\frac{A}{B}$ & Z, ſumma $\frac{A+ZB}{B}$

Ex $\frac{A}{B}$ tolle $\frac{B}{C}$, reſtat $\frac{CA-Bq}{BC}$

$$\begin{array}{cc} \multicolumn{2}{c}{BE+DA} \\ B & +\ D \\ C)\ CA & CE \\ A & E \\ \multicolumn{2}{c}{\underbrace{\qquad}_{CAE}} \end{array}$$

Cap. X.

DE MULTIPLICATIONE ET *Divisione Partium.*

1. MUltiplicatio comparat heterologos terminos (hoc est reducit ad minimos) & multiplicat homologos.

2. Divisio comparat homologos terminos, & multiplicat heterologos.

3. Et si integri partibus sint immixti, resolvendi sunt integri in partes.

Exempla Multiplicationis.

$\underset{4}{\overset{1}{\frac{\cancel{9}}{\cancel{16}}}}$ in $\underset{3}{\overset{5}{\frac{\cancel{20}}{\cancel{27}}}}$ fit $\frac{5}{12}$ | $\frac{\overset{4}{\cancel{8}}}{9}$ in $\frac{5}{\underset{3}{\cancel{6}}}$ fit $\frac{20}{27}$ | $\frac{5}{1}$ in $3\,\frac{\overset{13}{\cancel{1}}}{4}$ fit $\frac{65}{4}$ ($16\frac{1}{4}$

$\frac{A}{B}$ in B fit A | $\frac{A}{B}$ in Z fit $\frac{ZA}{B}$ | $\frac{A}{B}$ in $\frac{ZA}{C}$ fit $\frac{ZAq}{BC}$

Exempla divisionis.

$\underset{4}{\overset{3}{\frac{\cancel{9}}{\cancel{16}}}}$) $\underset{7}{\overset{5}{\frac{\cancel{15}}{\cancel{28}}}}$ ($\frac{20}{21}$ | $\frac{8}{\underset{3}{\cancel{15}}}$) $\cancel{7}\,\underset{1}{\overset{37}{\frac{\cancel{2}}{\cancel{5}}}}$ ($\frac{111}{8}$ ($13\frac{7}{8}$ | $\frac{\overset{1}{\cancel{3}}}{4}$) $\frac{\overset{3}{\cancel{9}}}{1}$ ($\frac{12}{1}$

$\frac{D}{1}$) $\frac{Aq}{B}$ ($\frac{Aq}{DB}$ | $\frac{A}{D}$) $\frac{BC}{1}$ ($\frac{BCD}{A}$ | $\frac{A}{B}$) $\frac{BC}{1}$ ($\frac{BqC}{A}$

$\frac{B}{A}$) $\frac{BC}{1}$ ($\frac{CA}{1}$ | $\frac{Ac}{C}$) $\frac{Bc}{D}$ ($\frac{BcC}{DAc}$

4. Quis

4. Quis numerus est $\frac{2}{7}$ è 21? Multiplica 21 per $\frac{2}{7}$. Nam 1. $\frac{2}{7}$::21.6. vel 7.2::21.6.

5. Cujus numeri 6 continet $\frac{2}{7}$? Divide 6 per $\frac{2}{7}$. Nam $\frac{2}{7}$. 1::6.21. vel 2.7::6.21.

6. Apud antiquos Musicæ Scriptores, termini multiplicandi in rationum sive continuatione, sive imminutione, connectuntur lineolis curvis, in hunc modum: si rationes sint 3 ad 2, & 4 ad 3.



7. Rationum continuatio fit per Multiplicationem ipsarum, ac si essent fractiones. Continuentur rationes 3 ad 2, & 4 ad 3: idem est ac si dicatur, multiplicentur $\frac{3}{2}$ in $\frac{4}{3}$, fientque $\frac{12}{6}$, quæ dupla est ratio. Quare ratio sesquialtera continuata cum ratione sesquitertiâ facit duplam: vel, ut loquuntur Musici, ex diapente & diatessaron fit diapason.

8. Rationum imminutio fit per Divisionem: ut è ratione 3 ad 2 detrahenda sit 4 ad 3: Idem est ac si jubeatur $\frac{3}{2}$ dividi per $\frac{4}{3}$ restabitque $\frac{9}{8}$: nam $\frac{4}{3}$) $\frac{3}{2}$ ($\frac{9}{8}$ ratio sesquioctava: quæ mensura est Toni integri. Unde dicunt Musici quod differentia inter diapente & diatessaron est Tonus. Ut in hâc lineâ sive chordâ divisâ in duodecim partes.

12 9 8 6 0

Cap.

CAP. XI.

Exempla aliquot facillima, quibus quæ hactenus tradita sunt familiaria redduntur: Et via ad Æquationem Analyticam sternitur.

1. Sciendum primò est, quod in sequentibus, tum brevitatis, tum phantasiæ juvandæ gratia, passim ferè his verborum symbolis utor. A & E significant duos numeros, sive magnitudines; quorum A plerumque major est, E minor. Æ rectangulum sub ipsis. Z est summa. X differentia. Zq summæ quadratum. Xq differentiæ quadratum. $\mathbb{Z}$ summa quadratorum. $\mathbb{X}$ differentia quadratorum $\mathcal{Z}$ summa cuborum. $\mathcal{X}$ differentia cuborum. A, M, E, sunt tres continuè proportionales: A, M, N, E, quatuor. Q: C: Q Q: QC: &c. præfixæ magnitudinibus inter duo utrinq; puncta inclusis, significant illiusmodi potestates. √ denotat radicem sive latus potestatis simplicis, si non intercedant duo puncta: Si vero potestas duobus utrinque punctis includatur, significat latus ipsius universale: quod etiam aliter per literam b vel r describi solet, ut √b latus est Binomii, & √r latus Residui sive Apotomes. $=$ nota est æqualitatis.

2. Sunt duo numeri sive magnitudines, quorum major est A, minor E: quænam est ipsornm summa? quæ differentia? quod sub ipsis rectangulum? quæ quadratorum summa? quæ quadratorum differentia? quæ summæ & differentiæ ipsorum summa? quæ summæ & differentiæ ipsorum differentia? quod summæ & differentiæ ipsorum rectangulum? quod summæ quadratum? quod differentiæ quadratum? quæ quadratorum summæ & differentiæ summa? quæ quadratorum summæ & differentiæ differentia? quod quadratum rectanguli?

Z est A + E. X est A-E. Æ est AE.

$\mathbb{Z} = Aq + Eq.$ $\mathbb{X} = Aq - Eq.$

$Z + X = 2A$ $Z - X = 2E.$

$\frac{1}{2}Z + \frac{1}{2}X = A.$ $\frac{1}{2}Z - \frac{1}{2}X = E.$

$ZX = Aq - Eq = \mathbb{X}.$ $Zq.\mathbb{X} :: \mathbb{Z}.X.$

$Zq = Aq + 2AE + Eq = \mathbb{Z} + 2Æ.$

$Xq = Aq - 2AE + Eq = \mathbb{Z} - 2Æ.$

$Zq + Xq = 2Aq + 2Eq = 2\mathbb{Z}.$

$Zq - Xq = 4AE.$ $\frac{1}{4}Zq - \frac{1}{4}Xq = Æ.$

$Æq = AqEq.$

3. Sunt duo numeri sive magnitudines, quorum summa est Z, & major ex ipsis ponitur A: quisnam est minor? quæ ipsorum differentia? quod sub ipsis rectangulum? quæ quadratorum summa? quæ quadratorum differentia?

$E = Z - A.$ $X = 2A - Z.$ $Æ = ZA - Aq.$

$\mathbb{Z} = Zq - 2ZA + 2Aq.$ $\mathbb{X} = 2ZA - Zq.$

Si vero minor ex ipsis ponatur E:

$A = Z - E.$ $X = Z - 2E.$ $Æ = ZE - Eq.$

$\mathbb{Z} = Zq - 2ZE + 2Eq.$ $\mathbb{X} = Zq - 2ZE.$

4. Sunt duo numeri sive magnitudines, quorum differentia est X, & major ex ipsis ponitur A: quisnam

nam est minor? quæ ipsorum summa? quod sub ipsis rectangulum? quæ quadratorum summa? quæ quadratorum differentia?

$$E = A - X. \qquad Z = 2A - X. \qquad \text{Æ} = Aq - XA.$$
$$Z = 2Aq - 2XA + Xq. \qquad X = 2XA - Xq.$$

Si vero minor ex ipsis ponatur E.

$$A = E + X \qquad Z = 2E + X. \qquad \text{Æ} = Eq + XE.$$
$$Z = 2Eq + 2XE + Xq. \qquad X = 2XE + Xq.$$

Theor: 18. Si ex angulo quovis trianguli circulo inſcripti, demittatur perpendicularis in latus oppoſitum: Erit ut perpendicularis illa, ad unum crus ejuſdem anguli: ſic crus alterum, ad diametrum circuli. Dico CA. CB:: CD.CE. Nam tri: ABC, DCE ſim.



Theor: 19. Triangula unum angulum æqualem habentia

habentia, rationem habent eam, quæ ex lateribus componitur. 23 e 6.

Theor: 20. Si ſemiſumma trium laterum trianguli plani, & tres differentiæ trium laterum ab illa ſemiſumma, continuè inter ſe multiplicentur: Vel aliter, ſi trianguli quovis latere ſumpto pro baſe, & reliquis duobus pro cruribus; Rectangulum ſub ſemiſumma & ſemidifferentia ſummæ crurum & baſis, ducatur in rectangulum ſub ſemiſumma & ſemidifferentia baſis & differentiæ crurum: Facti latus quadratum æquale erit areæ trianguli. Eſto triangulum BCD, cujus crura ſint BC & BD, & baſis CD. Biſecentur tres anguli rectis BI, CI, DI, concurrentibus in I: unde in latera ad angulos rectos ducantur IA, IE, IO. Sunt igitur intra triangulum BCD, tria paria triangulorum æqualium. Quare ſi cruri BC adjungantur in directum, $CF = DE$; erit $BF = \frac{1}{2}BC + \frac{1}{2}BD + \frac{1}{2}CD$:



Et $BA = BF - CD = \frac{1}{2}BC + \frac{1}{2}BD - \frac{1}{2}CD$:

Et $AC = BF - BD = \frac{1}{2}CD + \frac{1}{2}BC - \frac{1}{2}BD$:

Et $CF = BF - BC = \frac{1}{2}CD - \frac{1}{2}BC + \frac{1}{2}BD$. Menſuratis $BC = BF$: erit $CK = CF$: ducantur perpendiculares FH, GH,

vid. Tartaglia

GH,KH: Et protrahatur BI in H. Quia ang. FCK+FHK= 2 Rect=FCK+ACO. Et ang:ACO+AIO= 2 Rect: Erunt quadrangula FCKH, AIOC sim. Et tri:CFH, IAC sim. Sunt etiam tri: BAI, BFH sim. His expositis, Dico quadratum areæ trianguli, nempe BFq×IAq=BF×BA×AC×CF.

$\left.\begin{array}{l}\text{Nam IA.BA::FH.BF}\\ \text{Et IA.AC::CF.FH}\end{array}\right\}$ propter tri: sim.

Quare per multipl: IAq×BF=BA×AC×CF.

Ducatur utraque pars in BF, eritque &c.

Probl:1. A dato puncto, vel ad datam distantiam, datæ rectæ lineæ parallelam ducere. 31 e 1.

Probl: 2. Data recta linea, à dato in ea puncto, rectam lineam perpendicularem, sive ad angulos rectos, excitare. 11 e 1.

Probl.3. Super datam rectam lineam, à dato extra ipsam puncto, perpendicularem rectam demittere. 12 e 1.

Probl.4. A dato extra circulum C, puncto A, rectam lineam AT ducere, quę ipsum circulum tangat. 17 e 3.



Probl:5. Tribus rectis lineis datis, quartam proportionalem adinvenire. 12 e 6.

Probl.6.

Probl: 6. Datis duabus rectis lineis AB, AD, mediam continuè proportionalem AC, adinvenire. 13 e 6.



Probl: 7. Datis duabus rectis lineis AB,AC, vel AD, AC, tertiam continuè proportionalem AD, vel AB, adinvenire. 11 e 6.



Probl: 8. Dato triangulo, cujus altitudo est AC, & semibasis AB, æquale quadratum ADq, constituere.

Probl: 9. Dato rectangulo aliud rectangulum æquale, ad datum latus, statuere. 14 e 6.

Probl: 10. Triangulo dato aliud triangulum æquale, ad datam altitudinem constituere.

Ex punctis altitudinum A & α, in angulos oppositos lineæ Aβ & αB, ductæ, sint parallelæ.



Probl: 11. Dato polygono æquale triangulum constituere.



Probl: 12. Datis tribus punctis, non in directum positis, ducere circumferentiam. 25 e 3.

Probl: 13.

Probl: 13. Datis trianguli rectanguli baſe & Catheto, invenire hypotenuſam; vel quadratum quadrato addere.

Probl: 14. Datis trianguli rectanguli hypotenuſa & baſe, invenire cathetum; vel quadratum ex quadrato tollere.

Probl: 15. Binarum figurarum ſimilium rationem invenire. Quæratur tertia proportionalis. $Aq.Mq::A.E.$

Probl: 16. Datæ figuræ ſimilem figuram, in data ratione conſtituere. Quæratur media proportionalis inter latus ipſius, & latus ſimile. $R.\sqrt{RS}::A.M.$ Ratio fig: ſit R. S.

Probl: 17. In dato circulo hexagonum ordinatum inſcribere. 15 e 4.

Probl: 18. In dato circulo Decagonum ordinatum inſcribere. Secetur ſemidiameter circuli ſecundum extremam & mediam rationem, per 11 e 2.

Probl: 19. In dato circulo Pentagonum ordinatum inſcribere. Quæratur Hypotenuſa trianguli rectanguli, cujus Baſis ſit latus Hexagoni, & Cathetus latus Decagoni.

CAP. XIX.

Exempla Æquationis Analyticæ, pro Theorematibus inveniendis, Problematibusq; ſolvendis. ad quem quaſi ſcopum præcepta hactenus tradita præcipuè collineantur.

Probl: I. Inventio 11 e 2. Nempe, Data recta linea B ſecetur ſic ut rectangulum ſub tota B, & minore

minore ſegmento, æquetur quadrato majoris ſegmenti.

Ponatur majus ſegmentum A : minus erit B-A. ducatur B-A in B : fietque $Bq-BA=Aq$: vel $Aq+BA=Bq$. Quare $\sqrt{u}$: $Bq+\frac{1}{4}Bq.-\frac{1}{2}B=A$, per 9 cap. 16. Quod Theorema verbis enunciatur ſic : Si quadrato lineæ datæ, addatur quadrati ipſius quadrans : & è latere quadrato ſummæ ; tollatur ſemis lineæ datæ : reliquum erit ſegmentum majus.

Geometricè autem conſtruetur, ſic, Fiat $AB=B$: eique ad angulos rectos ſtatuatur $BC=\frac{1}{2}B$: & ducatur Hypotenuſa AC : erit $AC=\sqrt{u}:Bq+\frac{1}{4}Bq$. Abſcindatur $CD=BC$. Eritque reſiduum $AD=\sqrt{u}:Bq+\frac{1}{4}Bq:-\frac{1}{2}B$ Denique menſuretur $AE=AD$, pro majore ſegmento.



Probl: II. Inventio 12 e 2. Nempe comparatio Baſis obtuſi anguli, cum lateribus. Eſto triangulum BCD : cujus angulus interior ad B, ſit obtuſus : hujus Baſis eſt DC: & latera BD, BC. Hîc $BCq-BAq=CAq=DCq$ ($-DAq$, per 4 e 2) $-BDq-2BD\times BA-BAq$. quare $BCq+BDq=DCq-2BD\times BA$.



Quod theorema verbis enuntiatur, ſic : In amblygoniis triangulis, quadratum lateris ſubtendentis obtuſum angulum, excedit ſummam quadratorum laterum eundem comprehendentium, duplice rectangulo ſub

ſub uno laterum circa obtuſum angulum, & ſegmento ipſius (continuati) inter obtuſum angulum & perpendiculum.

Probl: III. Inventio 13 e 2. Nempe comparatio Baſis acuti anguli, cum lateribus. Eſto triangulum BCD: cujus angulus interior ad B, ſit acutus. hujus Baſis eſt DC: & latera BC, BD.



Hîc $BCq - BAq = CAq = DCq$ ($- DAq$, per 7 e 2) $- BDq + 2BD \times BA - BAq$. Quare $BCq + BDq = DCq + 2BD \times BA$. (Eodem prorſus modo procederet Demonſtratio, ſi D ponatur inter B & A.) In verbis, ſic, In triangulis obliquangulis, quadratum lateris ſubtendentis acutum angulum, minus eſt quam ſumma quadratorum laterum, &c. ($2BD \times BA - BAq + DAq = BDq$, 7 e 2)

Probl: IV. Inventio 14 e 2: Nempe quadrati æqualis rectangulo $AB \times AD$. Eſto $AB + AD = 2BM$. Quare $AB + AD$ ſecetur æqualiter in M, & inæqualiter in A. Erit igitur per 5 e 2, $AB \times AD = BMq - AMq$. Jam ſupponatur $ACq = AB \times AD$: fiatque triangulum rectangulum MAC cujus hypotenuſa $CM = BM$ ſemiſummæ laterum; & baſis AM ſemidifferentiæ laterum: Cathetus erit AC latus quadrati quæſiti, per 48 e 1.

Inventio areæ trianguli plani.

Probl: V. Attulit ad me amicus quidam meus, vir doctus,

doctus, Theorema de areâ trianguli plani; atque ut id examinarem, & demonſtratione munirem, poſtulavit. Erat autem Theorema, prout memini (nam multi jam elapſi ſunt anni) hàc ferè formâ, licet non in iiſdem literis.

In triangulo plano cujus latera ſunt A, E, B;
$$\left.\begin{array}{l} \frac{1}{8}BqEq - \frac{1}{16}Eqq \\ \frac{1}{8}EqAq - \frac{1}{16}Aqq \\ \frac{1}{8}AqBq - \frac{1}{16}Bqq \end{array}\right\}$$
æquantur quadrato areæ trianguli.

Poſtquam aliquamdiu mecum cogitaſſem, occurrit mihi 17, c 18, Theor: 20, quod commodiſſimum huic nodo ſolvendo duxi. Nam ſi trianguli duo crura ſint A, E; & baſis B: inde liquebit, quod $\frac{1}{2}A + \frac{1}{2}E + \frac{1}{2}B$, in $\frac{1}{2}A + \frac{1}{2}E - \frac{1}{2}B$, in $\frac{1}{2}B + \frac{1}{2}A - \frac{1}{2}E$, in $\frac{1}{2}B - \frac{1}{2}A + \frac{1}{2}E$, æquatur quadrato areæ trianguli. Factâ igitur harum quatuor magnitudinum continuâ multiplicatione; prodibit $\frac{1}{8}AqEq + \frac{1}{8}AqBq + \frac{1}{8}EqBq - \frac{1}{16}Aqq - \frac{1}{16}Eqq - \frac{1}{16}Bqq$. Quod eſt ipſum Theorema propoſitum.

Atque hinc non ſolum poſtulato ſatisfeci; ſed etiam quatuor alia Theoremata effectu faciliora exhibui.

Nam quia $\frac{1}{2}A + \frac{1}{2}E + \frac{1}{2}B = \frac{1}{2}Z + \frac{1}{2}B$.

Et $\frac{1}{2}A + \frac{1}{2}E - \frac{1}{2}B = \frac{1}{2}Z - \frac{1}{2}B$.

Et quia $\frac{1}{2}B + \frac{1}{2}A - \frac{1}{2}E = \frac{1}{2}L + \frac{1}{2}X$:

Et $\frac{1}{2}B - \frac{1}{2}A + \frac{1}{2}E = \frac{1}{2}B - \frac{1}{2}X$.

Erit $\frac{1}{2}Z + \frac{1}{2}B$ in $\frac{1}{2}Z - \frac{1}{2}B = \frac{1}{4}Zq - \frac{1}{4}Bq$.

Et $\frac{1}{2}B + \frac{1}{2}X$ in $\frac{1}{2}B - \frac{1}{2}X = \frac{1}{4}Bq - \frac{1}{4}Xq$.

Liquet igitur primò, $\frac{1}{4}Zq - \frac{1}{4}Bq$ in $\frac{1}{4}Bb - \frac{1}{4}Xq = Q$: areæ trianguli. In verbis ſic, Si quadrans differentiæ quadratorum ſummæ crurum & baſis ducatur in quadrantem differentiæ quadratorum baſis & differentiæ crurum;

crurum; producta magnitudo æqualis erit quadrato Areæ trianguli.

Deinde quia $\frac{1}{4}Zq - \frac{1}{4}Bq$ in $\frac{1}{4}Bq - \frac{1}{4}Xq = \frac{1}{16}ZqBq + \frac{1}{16}BqXq - \frac{1}{16}Bqq - \frac{1}{16}ZqXq$: Liquet secundò, $Zq + Xq - Bq$ in $\frac{1}{16}Bq$ mi $\frac{1}{16}ZqXq = Q$: Areæ trianguli.

Item quia $Zq + Xq = 2Z$, per 11, c. 18: Et $ZqXq = Xq$, per 14, c. 18: Liquet tertiò $2Z - Bq$ in $\frac{1}{16}Bq$ mi $Q: \frac{1}{4}X = Q$: Areæ trianguli.

Denique ex his comparatis, erit quartò $\left\{ \frac{2ZBq - Bqq - Xq}{16} = Q \right.$: Areæ tri.

Hæc posteriora Theoremata verbis facilè enuntiantur.

Probl: IV. Problematum circa Progressionem Arithmeticam solutio in viginti Propositionibus. Symbola verborum hæc sint: α primus terminus minimus. ω ultimus maximus. T numerus terminorum. X differentia communis. Z summa omnium terminorum. Est igitur $T - 1$ numerus differentiarum: ideoque $TX - X = \omega - \alpha$, summa differentiarum.

Datis tribus ex quinque illis α, ω, T, X Z, invenire duo reliqua per viginti propositiones sequentes (tot enim sunt varietates) hoc ordine.

Datis	Quæruntur	Per Propositi:
α, ω, T	Z & X	1 & 2
α, ω, X	T & Z	3 & 4
α, ω, Z	T & X	5 & 6
α, T, X	ω & Z	7 & 8
α, T, Z	ω & X	9 & 10

Datis

Datis	Quæruntur	Per Proposition:
α, X, Z	ω & T	11 & 12
ω, T, X	α & Z	13 & 14
ω, T, Z	α & X	15 & 16
ω, X, Z	α & T	17 & 18
T, A, Z	α & ω	19 & 20

Prop: I. $T\omega + T\alpha = 2Z$.

II. $\frac{\omega - \alpha}{T - 1} = X$.

III. $\frac{\omega - \alpha}{X} + 1 = T$. per 2.

IV. $\frac{\omega q - \alpha q}{X} + \omega + \alpha = 2Z$. per 1. 3.

V. $\frac{2Z}{\omega + \alpha} = T$. per 1.

VI. $\frac{\omega q - \alpha q}{2Z - \omega - \alpha} = X$. per 4.

VII. $TX - X + \alpha = \omega$. per 2.

VIII. $TX - X + 2\alpha$ in $T = 2Z$. per 1 & 7.

IX. $\frac{2Z - T\alpha}{T} =$. per 1.

X. $\frac{2Z - 2T\alpha}{Tq - T} = X$. per 2. 8.

XI.

XI. $\sqrt{u}: \alpha q - \alpha X + \frac{1}{4}Xq + 2ZX : -\frac{1}{2}X = \omega$. per 4.

XII. $\sqrt{u}: \frac{\alpha q - \alpha X + \frac{1}{4}Xq + 2ZX}{Xq} : -\alpha + \frac{1}{2}X = T$. per 8.

XIII. $\omega + X - TX = \alpha$. per 7.

XIV. $2\omega + X - TX$ in $T = 2Z$. per 1 & 13.

XV. $\frac{2Z}{T} - \omega = \alpha$. per 9.

XVI. $\frac{2T\omega - 2Z}{Tq - T} = X$. per 14.

XVII. $\frac{1}{2}X \pm \sqrt{u}: \omega q + \omega X + \frac{1}{4}Xq - 2ZX : = \alpha$. per 4.
prout α contigerit $\left\{\begin{matrix}\text{major}\\ \text{minor}\end{matrix}\right\}$ esse quam $\frac{1}{2}X$.

XVIII. $\frac{\omega + \frac{1}{2}X}{X} \mp \sqrt{u}: \frac{\omega q + \omega X + \frac{1}{4}Xq - 2ZX}{Xq} : = T$. per 14.
prout α contigerit $\left\{\begin{matrix}\text{major}\\ \text{minor}\end{matrix}\right\}$ esse quam $\frac{1}{2}X$.

XIX. $\frac{2Z}{2T} - \frac{TX}{2} + \frac{X}{2} = \alpha$. per 10.

XX. $\frac{2Z}{2T} + \frac{TX}{2} - \frac{X}{2} = \omega$. per 16.

Probl:

Probl.VII. Euclides 11 e 2, docuit secare lineam datam, sic, ut rectangulum sub tota & minore segmento, æquetur quadrato majoris segmenti: quæ sectio est penè divina. Proponatur jam illud problema generaliter; Data linea AB ita secetur, ut rectangulum sub tota AB, & minore segmento, ad quadratum majoris segmenti, rationem quamcunque possibilem datam habeat: puta R ad S.

Primo fiat R.S::AB.AC: qui quartus sit proportionalis: tum pro majore segmento ponatur A: minus segmentum erit AB-A: quod ductum in AB, dabit rectangulum $ABq - AB \times A$. Erit igitur AB . AC::ABq $-AB \times A$. Aq. Ideoque per 3 cap. 6, $ABq \times AC - AB \times AC \times A = AB \times Aq$. Et divisis omnibus per AB, erit $AB \times AC - AC \times A = Aq$: vel $Aq + AC \times A = AB \times AC$. Et per 9 cap. 16, invenitur $\sqrt{u}: \frac{1}{4}ACq + AB \times AC : -\frac{1}{2}AC = A$.

Hoc theorema inventum, verbis sic enunciatur: Si ad quadratum semissis quarti proportionalis, adjungatur rectangulum sub linea recta data, & quarto illo proportionali; Et ex latere quadrato summæ tollatur semis quarti proportionalis: Reliquum erit segmentum majus.

Geometricè sic. Statuantur AB & AC in directum: Et diametro BC fiat semicirculus: Et super BC in puncto A, erigatur perpendicularis AD, secans semicirculũ in D. tum bisecta AC in E, mensuretur EF=ED. Dico lineam AB sic secari in puncto F



G ut

ut ſit R. S :: AB*BF. AFq. Nam AC*AF+AC*BF =AC*AB=ADq=CF*AF , per 6 e 2,=AC*AF+AFq. Quare AC*BF=AFq. Atqui AB. AC :: AB*BF. AC*BF. Ergo,

Prob. VIII. Dato latere alterutro trianguli rectanguli (in quo perpendicularis ex angulo recto ſecat hypotenuſam) una cum BK differentia ſegmentorum hypotenuſæ, invenire tum hypotenuſam, tum triangulum ipſum. Primò detur latus minus CA. Puta factum eſſe quod poſtulatur: ſitque triangulum rectangulum BAC : in quo è vertice in hypotenuſam demittatur perpendicularis AP, ſecans hypotenuſam in BP & CP ſegmenta. Eſt autem $CP = \frac{BC-BK}{2}$. Quia eſt BC. CA :: CA. $\frac{BC-BK}{2}$ erit $\frac{BCq-BC*BK}{2} = CAq$: vel BCq −BK * BC =2CAq. quare per 9 c 16, $\sqrt{q}$: $\frac{1}{4}$BKq +2CAq : +$\frac{1}{2}$BK= BC. Enunciatur autem hoc theorema verbis ſic : Si quadratum ſemidifferentiæ ſegmentorum hypotenuſæ addatur duobus quadratis lateris dati ; & aggregati latus quadratum augeatur ipſa ſemidifferentia : tota aucta æqualis erit hypotenuſæ.



Geometricè

Geometricè ſic. Sumpta AF= AC; Ducatur CF: ipſique perpendicularis $FL = \frac{BK.}{2}$ & extendatur CL ad N, ut LN= $\frac{1}{2}$BK. Erit CN =BC. quare inſcribatur circulo CK= CN-BK : & producatur, &c. Nam CFq =2CAq. & CLq =2CAq+$\frac{1}{4}$BKq. Ergo,

Si verò detur majus latus BA : hujuſmodi invenietur æquatio, $\sqrt{q}$: $\frac{1}{4}$BKq+2BAq : − $\frac{1}{2}$BK = BC. ſumpta $\frac{BC+BK}{2}$ pro PB.

Et modus geometricus priori non abſimilis.

Probl: IX. Datis differentia laterum trianguli rectanguli BF, & perpendiculari AP ab angulo recto in hypotenuſam: invenire tum hypotenuſam, tum triangulum ipſum.

Puta factum eſſe quod poſtulatur : ſitque triangulum rectangulum BAC. Quoniam per 7 e 2. 2BA* AF + BFq =BAq + AFq ; Ideoque BFq = (ABq+ AFq, hoc eſt) BCq-(BA*2CA. hoc eſt) BC*2AP , quia BC. CA :: BA. AP. Erit BCq − 2AP*BC = BFq. quare per 9 c 16. $\sqrt{q}$: APq+BFq : +AP = BC.

Enunciatur autem hoc theorema verbis ſic: Si quadrato perpendicularis addatur quadratum differentiæ laterum; & aggregati latus quadratum augeatur ipſa perpendiculari: tota aucta æqualis erit hypotenuſæ.



Geometricè ſic. Fiat $PL = BF$. Et extendatur LA ad N, ut $AN = AP$. Erit $LN = BC$. Diametro igitur BC deſcribatur ſemicirculus; in quo ſtatuatur perpendicularis æqualis datæ AP. Et ducantur BA, & CA.

Probl: X. Datis ſumma laterum trianguli rectanguli, BG, & perpendiculari ab angulo recto in hypotenuſam, AP: invenire tum hypotenuſam, tum triangulum ipſum.

Puta factum eſſe quod poſtulatur: ſitque triangulum rectangulum BAC. Quoniam per 4 e 2, $BGq = (BAq + GAq$, hoc eſt) $BCq +$ ($2BA \times CA$, hoc eſt) $2AP \times BC$, quia $BC . CA :: BA . AP$. Erit $BCq + 2AP \times BC = BGq$. quare per 9 c 16, $\sqrt{q}: APq + BGq : - AP = BC$.

Enunciatur



Enunciatur autem hoc theorema ſic. Si quadrato perpendicularis addatur quadratum ſummæ laterum; & aggregati latus quadratum minuatur ipſa perpendiculari: linea reliqua æqualis erit hypotenuſæ.

Geometricè ſic. Fiat $PL = BG$ & ducatur AL: ex qua abſcindatur $AN = AP$. Erit $LN = BC$. Diametro igitur BC deſcribatur ſemicirculus, &c.

Probl: XI. Datis trianguli rectanguli latere alterutro, CA, & alterno ſegmento hypotenuſæ BP: invenire tum alterum ſegmentum, tum ipſum triangulum.

Puta factum eſſe quod poſtulatur: ſitque triangulum rectangulum BAC. Quoniam eſt $BP + CP . CA :: CA . CP$. Erit $BP \times CP + CPq = CAq$. quare per 9 c 16, $\sqrt{q}: \frac{1}{4} BPq + CAq : - \frac{1}{2} BP = CP$.

G 3 Enunciatur

Enunciatur autem hoc theorema verbis sic. Si quadrato semissis segmenti hypotenusæ addatur quadratum lateris dati; & aggregati latus quadratum minuatur ipso semisse: linea reliqua erit alterum hypotenusæ segmentum.



Geometricè sic. Statuantur ad angulos rectos BP & PF = CA & bisecta BP in M, ducatur MF: cui mensuretur æqualis MC. Inventum est igitur CP alterum segmentum: & BC tota hypotenusa. Diametro BC describatur semicirculus: in quo inscribantur CA, & BA.

Probl: XII. Datis trianguli rectanguli differentia segmentorum hypotenusæ BK, & summa laterum, BG: invenire tum differentiam laterum, tum hypotenusam, tum ipsum triangulum.

Puta factum esse quod postulatur: sitque triangulum rectangulum BAC. Quoniam est BG. BK :: BC. BF: est etiam BGq. BKq :: (BCq, hoc est) BAq + CAq. BFq. Item 2BGq-BKq. BKq :: (2BAq +2CAq — BFq hoc est) BGq. BFq: Nam per 8 c 18 2BAq+ 2CAq = BGq + BFq. quare $\surd$q: 2BGq — BKq. BG :: BK. BF :: BG. BC.

Enunciatur autem hoc Theorema verbis sic. Si

Si è quadrato summæ laterum duplicato tollatur quadratum differentiæ segmentorum hypotenusæ: Erit, ut latus quadratum reliqui, ad summam laterum; sic differentia segmentorum hypotenusæ, ad differentiam laterum, & sic summa laterũ ad hypotenusam.



Geometricè sic. Statuantur ad angulos rectos BG & GH = BG. tum diametro BH describatur semicirculus: in quo inscribatur HI = BK: & ducatur BI. Est igitur BI = $\surd$q: 2BGq — BKq. fiat etiam BL = BK. Ducatur GI: eique parallela LF. Ergo inventa est BF differentia laterum.

Probl: XIII. Datis trianguli rectanguli differentia segmentorum hypotenusæ BK, & differentia laterum BF: invenire tum summam laterum, tum hypotenusam, tum ipsum triangulum.

Puta factum esse quod postulatur: sitque triangulum rectangulum BAC. Quoniam est BF. BK :: BC. BG: est etiam BFq. BKq :: (BCq, hoc est) BAq +CAq. BGq. Item 2BFq — BKq. BKq :: (2BAq +2CAq — BGq, hoc est) BFq. BGq: Nam per 8 c 18 2BAq+2CAq = BGq+BFq. Quare $\surd$q: 2BFq — BKq. BF :: BK. BG :: BF. BC.

 Enunciatur



Enunciatur autem hoc theorema verbis ſic. Si è quadrato differentiæ laterum duplicato tollatur quadratum differentiæ ſegmentorum hypotenuſæ. Erit, ut latus quadratum reliqui, ad differentiam laterum; ſic differentia ſegmentorum hypotenuſæ, ad ſummam laterum: & ſic differentia laterum, ad hypotenuſam.

Geometricè ſic. Statuantur ad angulos rectos BF & $FH = BF$. tum diametro BH deſcribatur ſemicirculus, in quo inſcribatur $BI = BK$: & ducatur HI. Eſt igitur $HI = \sqrt{q}: 2BFq - BKq$. fiat $BL = HI$. Ducatur FL: eique parallela IG. Ergo inventa eſt BG ſumma laterum.

Probl. XIV. Datis trianguli plani cujuſcunq; differentia laterum FB, differentia ſegmentorum baſis BK, & differentia inter majus latus & baſem CL: invenire tum baſem, tum ſummam laterum, tum ipſum triangulum. Et primò ſit exceſſus penes baſem. Puta factum eſſe quod poſtulatur: ſitq; triangulum BCD.

Quo-

Quoniam eſt FB. BK::BD. $\frac{BK \times BD}{BF} = BG$, per 17 c 18, Th: 16. Erit $\frac{BK \times BD - BFq}{BF} = FG$: & $\frac{BK \times BD - BF}{2FB} = CF$. adde BF, & $\frac{BK \times BD + BFq}{2BF} = BC$. tolle hanc ex BD, & $\frac{2BF \times BD - BK \times BD - BFq}{2BF} = \frac{2BF \times CL}{2BF}$: Quare $2BF \times BD - BK \times BD = 2BF \times CL + BFq$. & per 3 c 6. $2BF - BK . 2CL + BF :: BF . BD :: BK . BG$.



Enunciatur autem hoc theorema verbis ſic. ut differentia inter differentiam laterum duplicatam, & differentiam ſegmentorum baſis, eſt ad aggregatum differentiæ inter majus latus & baſim duplicatæ & differentiæ laterum; ſic differentia laterum, ad baſem: & ſic differentia ſegmentorum baſis, ad ſummam laterum.

Geometrica praxis facilior eſt, quàm ut neceſſe ſit apponi.

Si verò exceſſus fuerit penes majus latus: theorema erit, $BK - 2BF . 2CL - BF :: BF . BD :: BK . BG$.

Hujus theorematis investigationem; & problematis quo è datis trianguli plani cujuscunq; summa laterum BG, differentia segmentorum basis BK, & differentia inter majus latus & basem CL. postulatur invenire tum basem, tum differentiam laterum, solutionem, omitto; ut habeant studiosi analyseos, quo solertiam suam exerceant.

Probl. XV. Datis trianguli plani cujuscunq; summa laterum BG, differentia segmentorum basis BK, & perpendiculari CA: invenire tum basem, tum differentiam laterum, tum ipsum triangulum. Puta factũ esse quod postulatur: sitque triangulum BCD. Quoniam per 17 c 18 Th: 16. BG. BD::BK. BF. Et per 5 c 18, DKq = BDq + BKq - 2BK × BD. Et per 47 e 1 (4ADq hoc est) DKq + 4CAq = (4CDq, hoc est) FGq. Erit BDq + BKq - 2BK × BD + 4CAq = FGq. Tolle FG ex BG: & BG - √q: BDq + BKq - 2BK × BD + 4CAq: = BF. Quare erit,
BG. BD::BK. BG - √q: BDq + BKq - 2BK × BD + 4CAq. Et per 3 c 6, BK × BD = BGq - √q: BGq × BDq + BGq × BKq - BGq × 2BK × BD + BGq × 4CAq. Est igitur per 8 c 16, Q: BGq - BK × BD, hoc est, BGqq - BGq × 2BK × BD + BKq × BDq = BGq × BDq + BGq × BKq - BGq × 2BK × BD + BGq × 4CAq. Ideóque BGq × BDq - BKq × BDq = BGqq - BGq × BKq - BGq × 4CAq. vel etiam, BGq - BKq in BDq = BGq - BKq - 4CAq in BGq. Ergo √q: BGq - BKq. √q: BGq - BKq - 4CAq :: BG. BD::BK. BF.

Enuncia-



Enunciatur autem hoc theorema verbis sic, Ut latus quadratum differentiæ inter quadrata summæ laterum, & differentiæ segmentorum basis, est ad latus quadratum ejusdem differentiæ multatæ quadrato perpendiculi duplicati; sic summa laterum, ad basem: & sic differentia segmentorum basis, ad differentiam laterum.

Geometricè sic. Diametro BG describatur semicirculus: in quo inscribatur GH = BK: & BH. Est igitur BH = √q: BGq - BKq. Rursus diametro BH describatur semicirculus: in quo inscribatur HI = 2CA: & BI. Est igitur BI = √q: BGq - BKq - 4CAq. Fiat BL = BG: & ab L ducatur LN parallela ipsi HI, concurrens cum BI producta in N. Ergo inventa est BN = BD.

Probl. XVI. Datis trianguli plani cujuscunque differentia

differentia laterum BF, differentia ſegmentorum baſis BK, & perpendiculari CA : invenire tum baſem, tum ſummam laterum, tum ipſum triangulum.

Puta factum eſſe quod poſtulatur : ſitque triangulum BCD. Quoniam eſt $BG.BD::BK.BF$. Et $DKq = BDq + BKq - 2BK \times BD$, per 5 c 18. Et per 47 e 1, ($4ADq$, hoc eſt) $DKq + 4CAq =$ ($4CDq$, hoc eſt) FGq. Erit $BDq + BKq - 2BK \times BD + 4CAq = FGq$. Adde FG ad BF: Et $BF + \sqrt{q}: BDq + BKq - 2BK \times BD + 4CAq = BG$. Quare $BF.\ BD :: BK.\ BF + \sqrt{q}: BDq + BKq - 2BK \times BD + 4CAq$. Item $BK \times BD = BFq + \sqrt{q}: BFq \times BDq + BFq \times BKq - BFq \times 2BK \times BD + BFq \times 4CAq$. Eſt igitur $Q: BK \times BD - BFq$, hoc eſt, $BKq \times BDq - \overline{BFq \times 2BK \times BD} + BFqq = BFq \times BDq + BFq \times BKq - \overline{BFq \times 2BK \times BD} + BFq \times 4CAq$. Ideoque $BKq \times BDq - BFq \times BDq = BFq \times BKq - BFqq + BFq \times 4CAq$. vel etiam $BKq - BFq$ in $BDq = BKq - BFq + 4CAq$ in BFq. Ergo $\sqrt{q}: BKq - BFq.\ \sqrt{q}: BKq - BFq + 4CAq :: BF.BD::BK.BG$.



Enunciatur autem hoc theorema verbis ſic. ut latus quadratum differentiæ inter quadrata differentiæ ſegmentorum baſis, & differentiæ laterum, eſt ad latus quadratum ejuſdem differentiæ auctæ quadra-

to

to perpendiculi duplicati; ſic differentia laterum, ad baſem : & ſic differentia ſegmentorum baſis, ad ſummam laterum.

Geometricè ſic. Diametro BK deſcribatur circulus: in quo inſcribatur $KH = BF$: & BH. Eſt igitur $BH = \sqrt{q}: BKq - BFq$. Fiat $BHL = BF$: & $HKI = 2CA$. Ducatur BI. Eſt igitur $BI = \sqrt{q}: BKq - BFq + 4CAq$. Ducatur etiam LN parallela ipſi HI, concurrens cum BI producta in N. Ergo inventa eſt $BN = BD$.

Probl: XVII. Datis in triangulo rectangulo differentia inter baſem & hypotenuſam B, & differentia inter cathetum & hypotenuſam C: invenire tum hypotenuſam, tum ipſum triangulum.

Pro hypotenuſa ponatur A. Baſis erit $A - B$. & Cathetus $A - C$. & per 47 e 1, Cathetus eſt $\sqrt{q}: 2BA - Bq$. quare $\sqrt{q}: 2BA - Bq. = A - C$. Et $2BA - Bq = Aq - 2CA + Cq$. vel $2B + 2C$ in A mi $Aq = Bq + Cq$. Ergo per 9 c 16, $B + C + \sqrt{q}: 2BC = A$, hypotenuſæ.



Enunci-

Enunciatur autem hoc theorema verbis sic. Aggregatum utriusque differentiæ (tum basis tum catheti) ab hypotenusa; unâ cum $\sqrt{q}$ duplicis rectanguli sub ipsis differentiis, æquatur hypotenusæ.

Geometricè sic. Ducatur linea infinita in qua mensurentur B,B, & C. hac diametro fiat semicirculus. Et in communi B & C termino statuatur ad angulos rectos linea M. Est igitur $Mq = 2BC$. mensuretur etiam M in linea infinita post C. Et semidiametro $M+C+B$ describatur arcus donec concurrat cum linea M perpendiculari producta. tum à puncto concursus ad centrum illius arcus ducatur linea pro hypotenusa. Et descriptum erit triangulum rectangulum quæsitum.

Probl. XVIII. Ad datam rectam lineam AB, dato rectilineo C æquale parallelogrammum adplicare, deficiens figura parallelogramma, quæ similis alteri parallelogrammo D dato. Oportet autem datum rectilineum non majus esse eo, quod ad dimidium applicatur. Prop: est 28 e 6.

In parallelogrammo D, notetur lineis perpendicularibus ejus Altitudo R, & Latitudo S: nec refert utra ex ipsis statuatur major.

Ponatur latus parallelogrammi quæsiti A: portio ablatitia erit AB-A. Fiat $S.\ R :: AB - A.\ \frac{AB \times R - R \times A}{S}$ altitudo parallelogrãmi quæsiti: Ducatur in A latus: eritque $\frac{AB \times R \times A - R \times Aq}{S} = C$: vel $AB \times A - Aq = \frac{C \times S}{R}$

Et

Et per 9, Cap. 16, $\frac{AB}{2} + \sqrt{q}\,\frac{ABq}{4} - \frac{C \times S}{R} = A.$

Quod Theorema verbis enunciatur sic. Si rectilineum C datum ducatur in latitudinem parallelogrammi D; & factus dividatur per altitudinem: & quotus ex quadrato semissis lineæ AB datæ auferatur: latus quadratum reliqui auctum eodem semisse, erit latus parallelogrammi quæsiti.



Geometricè sic: Fiat $ER = \sqrt{q}C$. Tum $R.S :: ER.ES$ Statuantur ER & ES ad angulos rectos: Sumptaque $SF = ER$, diametro EF describatur semicirculus: in quo erectâ perpendiculari SG erit $SGq = \frac{C \times S}{R}$ Ex G puncto mensuretur $GH = \frac{1}{2}AB = HB$: erit $HS = \sqrt{:}\,\frac{ABq}{4} - \frac{C \times S}{R}$. cui si adjungas $HA = \frac{1}{2}AB$; erit AS latus parallelogrammi quæsiti. Et $BS = AB - A$ portioni ablatitiæ. Et BL parallela lineæ ER, erit altitudo. Ergò parallelogrammum quæsitum est ASKN, factum ipsi D æquiangulum.

Probl. XIX. Ad datam rectam lineam AB, dato rectilineo

rectilineo C æquale parallelogrammũ applicare, excedens figura parallelogramma, quæ similis sit alteri parallelogrammo D dato, Prop: est 29 e 6.

In parallelogrammo D notetur Altitudo & Latitudo, sicut in præcedente.

Ponatur latus parallelogrammi quæsiti A : Portio adjectitia erit A-AB. Fiat S.R::A-AB. $\frac{R\times A-AB\times R}{S}$ altitudo parallelogrãmi quæsiti. Ducatur in A latus: Eritque $\frac{R\times Aq-AB\times R\times A}{S}=C$. vel $Aq - AB\times A = \frac{C\times S}{R}$ Et per 9 c 16, $\sqrt{q}:\frac{ABq}{4}+\frac{C\times S}{R}:+\frac{AB}{2}=A$.

Quod Theorema verbis enunciatur sic. Si rectilineum datum C ducatur in latitudinem parallelogrammi D & factus per altitudinem dividatur: & quotus addatur quadrato semissis lineæ AB datæ: Latus quadratum aggregati, auctum eodem semisse, erit latus parallelogrammi quæsiti.



Geometricè sic. Fiat $ER=\sqrt{q}C$. Tũ R.S::ER.EB.

Statu-

Statuantur ER & EB ad angulos rectos: Sumptaque BF=ER, diametro EF describatur semicirculus: in quo erecta perpendiculari BG, erit $BGq=\frac{C\times S}{R}$. Esto $BH=\frac{1}{2}AB=AH$. Et ducatur $GH=\sqrt{q}:\frac{ABq}{4}+\frac{C\times S}{R}:=HS$: Est igitur AS=A lateri parallelogrammi quæsiti: Et BS=A-AB portioni adjectitiæ. Et altitudo erit SL parallela lineæ ER. Ergo parallelogrammum quæsitum est, ASKN factum ipsi D æquiangulum.

Probl. XX. Datis trianguli plani cujuscunq; duobus lateribus BC, BD, cum angulo B intercepto: invenire tertium latus, vel datis tribus lateribus: invenire angulum B, uni ipsorum oppositum.

Esto factum quod postulatur: sitque triangulum BCD. Centro B, semidiametro BC, describatur arcus CK: & perpendicularis CA. Est igitur KD differentia laterum: & AK similis sinui verso anguli B. Nam Rad. svB::BK. AK. Estque $AK=\frac{BK\times svB}{Rad.}$ Est autem etiam $AK=BK\mp BA$: ut ex schematibus comparatis liquet.

Et quia BDq+BKq=tum

$$\left\{\begin{array}{l} 2BD\times BK+KDq. \text{ per 5 c 18} \\ CDq\pm 2BD\times BA. \text{ per 2,3, c 19.} \end{array}\right\}$$

Erit $2BD\times BK+KDq=CDq\pm 2BD\times BA$. Quare $2BD\times BK\mp 2BD\times BA$. hoc est, $2BD\times AK+KDq=CDq$. at verò $2BD\times AK=\frac{2BD\times BC\times svB}{Rad.}$

 Ergo

Ergo $\frac{2BD \times BC \times sv B}{Rad:} + KDq = CDq$. Quod est theorema primum. Et $\frac{CDq\text{-}KDq \text{ in } Rad:}{2BD \times BC} = sv\,B$. quod est theorema secundum.





Enunciatur quidem verbis primum theorema sic: Si duplicatum rectangulum sub lateribus datis ducatur in sinum versum anguli intercepti: & factus dividatur per Radium: Quotus auctus quadrato differentiæ laterum æqualis erit quadrato tertii lateris.

Secundum verò sic: Si differentia quadratorum lateris oppositi, & differentiæ laterum, ducatur in Radium; & factus dividatur per duplicatum rectangulum sub lateribus continentibus: quotus æqualis erit sinui verso anguli quæsiti.

Probl. XXI. Datis frusti Pyramidis utraq; base Aq, Eq, & altitudine L: invenire mensuram frusti.

Prænoscendum est ex 7 & 10 e 12. quod parallelepipedon æquatur tribus pyramidibus; Et Cylindrus æquatur tribus conis, ejusdē basis & altitudinis. Estque altitudo pyramidis abscissæ (T) primò quærenda,

renda, sic, A — E.E::L.T. Quare $\frac{LE}{X} = T$. Et altitudo totius pyramidis est L+T. Item pyramis tota tripla est AqL+AqT. Et pyramis abscissa tripla est EqT. Ergo triplum frustrum pyramidis est AqL+AqT-EqT.

Hoc theorema ostendit unum modum commensurandi frustum pyramidis: Enuntiatur autem verbis sic.



Si solidum sub base majore & tota altitudine multetur solido sub base minore & altitudine pyramidis abscissæ: reliqui triens æqualis erit frusto.

Rursus quia 2 c 11. Aq - Eq = ZX: & T = $\frac{LE}{X}$ Erit AqL+ (ZEL, hoc est per 3 e 2) AEL +EqL = AqL+AqT-EqT. Ergo triplex frustum pyramidis est etiam Aq+Eq+AE in L. hoc theorema docet alterum modum commensurandi frusti: enunciatur autem verbis sic.

Si aggregatum utriusque basis frusti pyramidis, & mediæ inter ipsas proportionalis, ducatur in altitudinem frusti: facti triens æqualis erit frusto.

Item quia per 2 c 11, 2Aq+2Eq=Zq+Xq: Erit

rit ZqL+XqL+2AEL æquale ſex fruſtis. at per 11 e 18. Xq+2AE=Z. Ergo Zq+Z in L æquale eſt ſex fruſtis pyramidis. Atque hoc Theorema docet tertium modum commenſurandi fruſti pyramidis. Enunciatur autem verbis ſic. Si ad aggregatum baſium addatur quadratum aggregati laterum quadratorum utriuſque baſis, & ſumma eorundem ducatur in altitudinem fruſti:facti ſextans ęqualis erit fruſto.

At verò ſi quæſtio ſit de commenſurando fruſto Coni. Quia juxta Archimedæum inventum, ſemiperipheria circuli æqualis eſt $\frac{22}{7}$ Radii ferè: vel magis accuratè $\frac{355}{113}$ Rad: Erit area circuli $\frac{355}{113}$ Rad: q. Et 113. 355::Rad: q. area circuli. Quare Theorema primum de commenſurando fruſto coni, eſt $\frac{355}{452}$ AqL $+\frac{355}{452}$ AqT$-\frac{355}{452}$EqT, æquatur triplo fruſto. Secundum eſt $\frac{355}{452}$Aq$+\frac{355}{452}$Eq$+\frac{355}{452}$ AE in L, æquatur triplo fruſto, Tertium eſt $\frac{355}{452}$Zq$+\frac{355}{452}$Z in L, æquatur ſextuplo fruſto Coni.

Probl: XXII. Problema Apolonii Pergæi ἐν ἀναλυομένῳ τόπῳ. Datis in plano duobus punctis A,B, deſcribere circulum, in cujus circumferentiam rectæ lineæ AD,BD, ab iiſdem punctis ductæ, datam habeant rationem R ad S.

Puta factum eſſe quod quæritur: ſitq; circuli quæſiti centrum C in eadem recta linea cum punctis A,B; & ſemidiameter CD. Fiat R.S::S.T. Quia triangula duo ACD,DCB (ubicunq; ſumitur punctum D) ſunt ut AC ad BC: Et latera DA,DB, communi angulo C ſimiliter oppoſita, ſunt in ratione R ad S:& latus CD utriq; commune: Non difficile erit concipere triangula ipſa ACD,DCB eſſe ſimilia. Quare R, S::DA.

DB

DB::AC. DC::DC.BC. Et per 1 c 15, AC. BC::Rq. Sq::R.T. Si igitur pro BC ponatur A: Erit AB+A. A::R. T. Et AB×T+T×A=R×A: vel $\frac{AB\times T}{R-T}$ =A. Denique √:AC×BC:=DC.

d+z+a=2r-a-c
2z+2a = 2r-c
d+z+2a = 2r-c
2z=d+z
z=d.



Quæ enunciatur verbis ſic. Si punctorum intervallum ducatur in tertiũ rationis datæ terminis proportionalem: & factus dividatur per exceſſum termini primi ſupra tertium: Quotus æqualis erit diſtantiæ puncti citerioris à centro. Et latus quadratum rectanguli ſub utraq; diſtantia à centro, æquatur ſemidiametro. Geometrica effectio facillima eſt.

Probl. XXIII. Datis dolii, ſive vaſis vinarii, longitudine interna 2CL,& ſemidiametris tum medii CB, tum baſis LD: invenire dolii ipſius capacitatem. Eſt quidem dolium fruſtum ſphæroideos, quæ ſit revolutione ſemiſſis ellipſeos ſuper diametrum ſuam tranſverſam ſive axim. Ad menſuram autem fruſti inveniendam, tum totius ſphæroideos, tum abſciſſarum portionum menſuras ſciri oportet: harum enim menſurarum differentia eſt menſura fruſti.

Soliditas totius ſphæroideos eſt $\frac{355}{113}$ BCq in $\frac{2}{3}$ IK: qui duplus eſt conus baſis BCB, & altitudinis IK:

Archim: de conoid: & ſphæroid: prop. 29.

Soliditas verò portionis IED abſciſſæ habetur ſic: LK.LK+KC::$\frac{3}{1}\frac{5}{4}\frac{5}{2}$LDq in $\frac{1}{3}$LI. Soliditas quæſita. Ibid. prop. 31.

Deſideratur autem adhuc (qui hujus negocii præcipuus eſt cardo) diameter tranſverſa ſive axis IK: quem ſic invenies.

Puta factum eſſe quod poſtulatur: Et deſcribatur ellipſis: & reliqua; ſicut in ſchemate. Et fiat CK. CB::CB.$\frac{CBq}{CK}$=CR, quod eſt ſemilatus rectum per 13 l 1 conic: Apoll. Iterum fiat CK.$\frac{CBq}{CK}$:: CK +CL.$\frac{CBq \text{ in } CK+CL}{CKq}$=LN. ducatur in IL, hoc eſt CK−CL (quod idem eſt ac ſi ducatur CBq in CKq-CLq per 11 c 18) fietque $\frac{CBq \times CKq - CBq \times CLq}{CKq}$ =LEq. per 13 l 1 conic: Apoll. Ergo $\sqrt{q}\,\frac{CBq \times CLq}{CBq - LEq}$ =CK, ſemi-axi; hoc eſt $\frac{CB \times CL}{OP}$=CK.

Quod

Quod theorema verbis enuntiatur ſic. Si quadratum ſemidiametri medii dolii ducatur in quadratum dimidiatæ longitudinis: & factus dividatur per differentiam quadratorum à ſemidiametris medii & baſis: quoti latus quadratum erit ſemiaxis ſphæroïdeos.



Geometricè ſic. Ducatur EO parallela axi. Et ſemidiametro CP=CB fiat arcus ſecans ipſam EO in P. continuetur CP donec concurrat cum baſe LE producta in F. Erit CF æqualis ſemiaxi quæſito. Aliter quia CP=CB: & CO=LE: erit ($\sqrt{u}$: CBq -LEq) OP.CB::CL.CF=CK.

Conſectarium. Atque hinc patet meridianos in Analemmate eſſe veras Ellipſes. verbi gratia, cogitetur quadrans Analemmatis CIFQ. in quo deſcripta ſit Ellipſis IEB. Dico eandem eſſe Meridianum. Nam cum CQ ſit quadrans Æquinoctialis, & FL quadrans paralleli: ſitq; meridianorum proprium ſecare Æquinoctialem, & omnes circulos ipſi parallelos, in ſegmenta ſimilia, per 10, l 2 Theod: de ſphæra. Si igitur conſtiterit eſſe CQ.CB::LF.LE: Ellipſis IEB ſecans ipſos erit meridianus. At verò CF=CQ: & CP =CB: & OC=LE: Eſtque CF.CP::LF.OC. Ergo, Probl. XXIV. Datis trianguli rectanguli hypotenusa BC, & CM mediâ proportionali inter basem & cathetum; invenire triangulum.

Puta factum esse quod postulatur: sitq; triangulum rectangulum BAC. Quoniam basis est BA, Cathetus erit $\surd q{:}BCq-BAq{:}$ & rectangulum sub ipsis $\surd q{:}BCq\times BAq-BAqq{:}$ cujus latus quadratum est $\surd qq{:}BCq\times BAq-BAqq{:}$ media proportionalis inter basem & Cathetum.

Item quoniam Cathetus est CA, Basis erit $\surd q{:}BCq-CAq$. Et rectangulum sub ipsis, $\surd q{:}BCq\times CAq-CAqq{:}$ cujus latus quadratum est $\surd qq{:}BCq\times CAq-CAqq{:}$ media proportionalis inter basem & Cathetũ.

Quare $BCq\times BAq-BAqq=CMqq$. Et

$$BCq\times CAq-CAqq=CMqq.$$

Ergo per 9 c 16, $\frac{1}{2}BCq\pm\surd q{:}\frac{1}{4}BCqq-CMqq.=\left.\begin{matrix}BAq\\CAq\end{matrix}\right\}$

Quod Theorema enuntiatur verbis sic. Si dimidiato hypotenusæ quadrato, latus quadratum excessus quadratis quadrato-quadrati hypotenusę supra quadrato-quadratum medii proportionalis inter basem & Cathetum, addatur; aggregatum erit basis quadratum: sin auferatur, reliquum erit quadratum Catheti.



Geometricè sic. Dimetro BC, & centro E medio, describatur semicirculus: Tum fiat BC. CM :: CM. CD =AF

=AF perpendic: intra semicirculum. Est igitur $BC\times AF=CMq$. compleatur triangulum BAC Nam $\frac{1}{4}BCq\,(AEq)-AFq=EFq$.

Quare $\frac{1}{2}BC\pm(EF)\surd q{:}\frac{1}{4}BCq-AFq{:}=\left\{\begin{matrix}BF.\\CF.\end{matrix}\right.$

Ducantur omnia in BC : fietque

$$\frac{1}{2}BCq\pm\surd q{:}\frac{1}{4}BCqq-(BCq\times AFq)\,CMqq{:}=\left\{\begin{matrix}BC\times BF=BAq.\\BC\times CF=CAq.\end{matrix}\right.$$

Probl. XXV. Datis trianguli rectanguli base BA, & AM mediâ proportionali inter hypotenusam & Cathetum, invenire triangulum.

Puta factum esse quod postulatur: sitque triangulum rectangulum BAC. Quoniam Cathetus est CA, hypotenusa erit $\surd q{:}BAq+CAq{:}$ Et media inter ipsas proportionalis $\surd qq{:}CAqq+BAq\times CAq$.

Item quoniam hypotenusa est BC, cathetus erit $\surd q{:}BCq-BAq{:}$ Et media inter ipsas proportionalis $\surd qq{:}BCqq-BAq\times BCq$.

Quare $CAqq+BAq\times CAq=AMqq$. Et

$BCqq-BAq\times CAq=AMqq$. Ergò per 9 c 16

$$\surd q{:}\frac{1}{4}BAqq+AMqq{:}\mp\frac{1}{2}BAq=\left\{\begin{matrix}CAq.\\BCq.\end{matrix}\right.$$

Quod Theorema verbis enuntiatur sic. Si lateri quadrato summæ ex quadrante quadrato-quadrati basis, & quadrato-quadrati mediæ proportionalis inter hypotenusam & Cathetum, dimidiatum basis quadratum auferatur, reliquum erit Catheti quadratum: sin addatur, aggregatum erit quadratum hypotenusæ.

Geometricè

Geometricè ſic. Fiat BA. AM:: AM. AD perpendic: eſt igitur $BA \times AD = MAq$. ex medio baſis puncto E ad perpendicularem AD, ducatur $ED = EF$. Et diametro BF deſcribatur ſemicirculus ſecans AD in C. Tum ducta BC compleatur triangulum BAC. Nam $\frac{1}{4}BAq + ADq = EFq$.



Quare $\sqrt{q}\!: \frac{1}{4}BAq + ADq\!: \mp \frac{1}{2}BA = \left\{\begin{matrix} AF. \\ BF. \end{matrix}\right.$

Ducantur omnia in BA: fietque

$$\sqrt{q}\!: \tfrac{1}{4}BAqq + (BAq \times ADq)\, AMqq\!: \mp \tfrac{1}{2}BAq = \left\{\begin{matrix} BA \times AF = CAq. \\ BA \times BF = BCq. \end{matrix}\right.$$

Conſectarium. Atque ex his duabus proportionibus patet æquationum, in quibus ſunt tres ſpecies æqualiter in ordine ſcalæ aſcendentes, quarum ſuprema ſit quadrato-quadratica, effectio Geometrica.

Probl: XXVI. De angulorum ſive peripheriarum biſectione, triſectione, quinquiſectione, ſeptiſectione, pauca etiam, ad Analytices præſtantiam, uſumque admirandum, oſtendendum, apponam. Geometricam quidem praxim adhuc inventam non habent: ſicut nec Meſolabium inventum eſt. At verò in Sectione 15 Cap. XVIII, Æquationes quaſdam Cubicas prælibavi; qua

qua etiam ſolertia, alias innumeras Analytices ſtudioſus poterit comminiſci, quarum fortaſſe ope meſolabium hactenus tenebris obvolutum, in lucem tandem proferatur.

Diſtinguantur in peripheria ſeptem æquales partes ab O fine diametri literis A B C D E F G: ducantur ſubtenſæ, ſicut fit in ſchemate. Sumatur $MX = MB$. ducantur etiam AX & XB; & diameter NRA; & ad OE perpendicularis CT; & ad OG perpendicularis EK. Quoniam per 17 Cap. XVIII, Theor: 1, $AB = AX$: erunt triangula BMX, ORA, OAX, ſimilia; ideoque $\frac{OAq}{Rad.} = OX$. Sunt etiam triangula OAB,



ARM,

ARM, similia. Et per 47 e 1, $MA = \sqrt{q}: 4Radq - OAq$.

His sic præmissis, erit RA. MA, hoc est, Rad. $\sqrt{q}: 4Radq - OAq :: OA. OB$. Ergo

$$\frac{4Radq \times OAq - OAqq}{Radq} = OBq:$$ quæ est anguli duplicatio.

Et $4Radq \times OAq - OAqq = Radq \times OBq$: quæ est anguli bisectio.

Deinde quia $OS = OA$. & $SA = OX$. & $NS = MX = MB$. Erit per 17 e 18. Th: 16. $\frac{NS \times SA}{OS} = SC$: hoc est $2Rad - \frac{OAq}{Rad}$ in $\frac{OAq}{Rad}$, divisa per OA, vel

$$\frac{2Radq \times OA - AOc}{Radq} = SC.$$ Et si addatur OA, fiet

$$\frac{3Radq \times OA - OAc}{Radq} = OC:$$ quæ est anguli triplicatio.

Et $3Radq \times OA - OAc = Radq \times OC$: quæ est anguli trisectio.

Item quia $2ET + CB = OE$. Et $MO. MB :: OC. OT$: hoc est $2Rad. 2Rad - \frac{OAq}{Rad} :: \frac{3Radq \times OA - OAc}{Rad}$.

$$\frac{6Radqq \times OA - 5Radq \times OAc + OAqc}{2Rqq}:$$ E cujus duplo si tollatur OA: restabit

$$\frac{5Radqq \times OA - 5Radq \times OAc + OAqc}{Rqq} = OE:$$ quæ est anguli quintuplatio. Et $OAqc - 5Radq \times OAc$

+5

$+5Radqq \times OA = Radqq \times OE$: quæ est anguli quinquisectio.

Atque hac forma progredi licet ad Septisectionem inveniendam, Nempe $7Rcc \times OA - 14Rqq \times OAc + 7Rq \times OAqc + OAqqc = Rcc \times OG$.

Nam $MO. MB :: OE. OK$. Et $2OK - OC = OG$. Operationem studiosis relinquo.

Verùm quia Radius ponitur 1, quæ in Multiplicatione & Divisione, nihil mutat: idcircò in hisce omnibus Æquationibus, Radius cum omnibus suis potestatibus, omitti poterit.

Sed quo artificio istiusmodi operosæ Æquationes (in quibus non sunt tantùm tres species æqualiter in ordine scalæ ascendentes) solvantur, quanquàm non est hujus instituti docere: tamen quod in hoc negotio in usum nobilissimi doctissimique Domini Gerardi Aungier, Domini Aungier & Baronis de Longford, ante plurimos annos, commentus sum, in gratiam studiosorum Mathematices, qua possum brevitate, in lucem proferre non pigebit.

SOLI DEO GLORIA.

DE ÆQUATIONUM AFFECTARUM RESOLUTIONE IN NUMERIS.

1\. COnstruendæ Æquationis affectæ modus. Sumatur, ut lubet, pro B, 3: pro Cq, 16: pro Dc, 125: pro Fqq, 1296: &c. Nec refert utrum numeri sumpti sint verè figurati necne. Sitque ex his Coëfficientibus construenda Æquatio Quadrato-cubica. Ea pro modo Tabulæ Analyticæ posterioris in ordine Quadrato-cubico, conflata, esto Lqc-5BLqq+10CqLc—10DcLq+5FqqL= Gqc. Quæ in numeris, statuendo L (radicem) 47, erit 1qc-15qq+160c-1250q+6480l= 170304782. vel omissa *unciarum* distinctione, pro 15qq, dic BLqq, pro 160c, dic CqLc; pro 1250q, dic DcLq; & pro 6480l, dic FqqL. Nam si L sit 47; erit Lq = 2209: & Lc = 103823: & Lqq = 4879681: & Lqc = 229345007.

Constructionis

Constructionis hujus Practica.

BL qq 15 × 4879681	229345007 -73195215	Lqc
Cq Lc 160 × 103823	156149792 +16611680	
Dc Lq 1250 × 2209	172761472 — 2761250	
Fqq L 6480 × 47	170000222 + 304560	
	170304782	Gqc

2\. Proponatur Æquatio quæcunque, puta modò inventam.
1qc-15qq+160c-1250q+6480l= 170304782:
Vel numeris in symbola mutatis,
Lqc-BLqq+CqLc—DcLq+FqqL= Gqc:
Et si plures essent affectionum Species, consequenter efferri poterunt per Hcc, Kqqc, Mqcc, Nccc, & sic ulterius.

3\. Radicis L ex his investigandæ duæ erunt partes, nempe A latus primum, & E latus secundum, sive subsequens quodlibet. Quare L= A+E: & omnes potestates ex L, æqualiter consimilibus potestatibus ex A+E: v. g. Lq= Aq+2AE+Eq: & Lc =Ac+3AqE +3AEq+Ec. &c.

Qui igitur numerosam hanc potestatum affectarum resolutionem cupit addiscere, eum in purarum potestatum Genesi & Analysi, bene versatum esse oportet.

4\. In Æquatione propositâ, potestas resolvenda 170304782, sive Gqc, est Quadrato-cubica, cujus etiam

etiam generis ſunt ſingulæ affectionum Species. Nam Heterogenea inter ſe nec addi poſſunt, nec ſubtrahi.

IX. Si figura plana polygona laterum æqualium & numero parium. $ABDF\delta\beta\alpha\gamma\varepsilon\varphi EC$, inſcribatur circulo, junganturque anguli rectis lineis parallelis: Dico $AB.\ B\alpha :: A\alpha.\ BC + DE + F\varphi + \delta\varepsilon + \beta\gamma$; hoc eſt, $2BC + 2DE + F\varphi$. Nam $AB.\ B\alpha :: \frac{1}{2}AK.\ \frac{1}{2}BC :: \frac{1}{2}KL.\ \frac{1}{2}DE :: \frac{1}{2}L\lambda.\ \frac{1}{2}F\varphi :: \frac{1}{2}\lambda\kappa.\ \frac{1}{2}\delta\varepsilon :: \frac{1}{2}\kappa\alpha.\ \frac{1}{2}\beta\gamma$.

Quare $A\alpha \times B\alpha = AB$ in $2BC + 2DE + L\varphi$. 21 l 1.

Et in ſegmento $A\delta\varepsilon$, erit $AB.\ B\alpha :: A\eta.\ BC + DE + F\varphi + \frac{1}{2}\delta\varepsilon$.



Quare

Quare $A\eta \times B\alpha = AB$ in $BC + DE + F\varphi + \frac{1}{2}\delta\varepsilon$.

X. Si circulo, vel circuli ſegmento alicui figura ejuſmodi plana polygona laterum æqualium & parium, tum inſcribatur, tum circumſcribatur; & diametro $A\alpha$ quieſcente, circulus circumvolvatur; deſcribetur figura ſolida conſtans ſuperficiebus quibuſdam Conicis: Et paralleli $BC, DE, F\varphi, \delta\varepsilon, \beta\gamma$, deſcribent totidem circulos parallelos. Atque in his, quæ circumſcripta eſt, ſive continens, major ſemper eſt circulo incluſo: & quæ inſcripta eſt, minor ſemper erit circulo ambiente. Et ſuperficies figuræ circumſcriptæ, ad ſuperficiem figuræ inſcriptæ ſimilis, eſt in ratione laterum duplicata: At figura ipſa ſolida circumſcripta, ad ſolidam ſimilem inſcriptam, in ratione triplicata. 22. 27. 30. 34. 37 l 1.

XI. Si diameter circuli includentis ejuſmodi figuram ſolidam, ſit $A\alpha$: fiatque $A\alpha, M, B\alpha$ ∺: vel, quod idem eſt, per 9, $2BC + 2DE + F\varphi, M, AB$ ∺: Dico $\frac{\pi}{\delta} Mq =$ ſuperficiei figuræ. Nam per 2, $\frac{\pi}{\delta} BC \times AB = 2 \bigcirc$ coni ABC: & per 4, $\frac{\pi}{\delta} BC + DE$ in $AB = 2 \bigcirc$ fruſti $BCED$: & $\frac{\pi}{\delta} DE + F\varphi$ in $AB = 2 \bigcirc$ fruſti $DE\varphi F$.

Ergo $\frac{\pi}{\delta} 2BC + 2DE + F\varphi$ in $AB = \bigcirc$ figuræ totius, nempe $\frac{\pi}{\delta} Mq$. 23. 28 l 1.

XII. In Schem: 3. Figuræ ejuſmodi ſolidæ, ſi ſphæræ

ſphæræ inſcribatur, ſuperficies $\frac{\varpi}{\delta}$Mq minor eſt circulo habente axem ſphæræ continentis Aα pro diametro. Nam M $\sqsupset$ Aα.

Sin circumſcribatur, ſuperficies $\frac{\varpi}{\delta}$ Mq major eſt circulo habente axem ſphæræ contentæ 2IP $=$ Bα pro diametro. Nam Aα, M, 2IP $\ddot{\div}$: Quare M cadet inter A & Q. 24, 29 l 1.

XIII. Quidni igitur ſphæræ ſuperficies æquetur quatuor maximis circulis; nempe $\frac{\varpi}{\delta}$ Diam:q? 31 l 1.

XIV. Figura ejuſmodi ſolida æqualis eſt Cono, cujus Baſis eſt circulus æqualis ſuperficiei figuræ; & Altitudo IP perpend:è centro ſphæræ in latus figuræ: hoc eſt, per 11, $\frac{\varpi}{3\delta}$ Mq in (IP) $\frac{1}{2}$Bα $=$ figuræ toti ſolidæ. Nam per 6, Rhomb: BACI $= \frac{1}{3} \frown$ BAC in IP. Et per 8, Excavatum DBICE $= \frac{1}{3} \frown$ DBCE in IP. Et per 7, Excavatum FDIEφ $= \frac{1}{3} \frown$FDEφ in IP. Et ſimiliter pro altero hæmiſphærio. Quare $\frac{1}{3} \frown$ BAC $+ \frac{1}{3} \frown$ DBCE $+ \frac{1}{3} \frown$ FDEφ in Bα (2IP) $=$ toti figuræ ſolidæ; nempe $\frac{\varpi}{3\delta}$ Mq: vel $\frac{\varpi}{3\delta}$ A$\alpha \times$Bα in $\frac{1}{2}$BA(IP). 25, 29 l 1.

XV. Figura ejuſmodi, ſi ſphæræ inſcribatur, minor eſt quatuor Conis habentibus baſem æqualem circulo ſphæræ maximo: hoc eſt Cono habenti baſem æqualem ſuperficiei ſphæræ; altitudinem verò æqualem ſemiaxi. Sin circumſcribatur, iiſdem major eſt. Nam

Nam per 12, ſuperficies figuræ inſcriptæ, ſuperficie ſphæræ minor eſt: circumſcriptæ autem, major. 26. 29 l 1.

XVI. Quidni igitur ipſa ſphæra æqualis ſit quatuor Conis habentibus baſem æqualem circulo ſphæræ maximo; hoc eſt Cono habenti baſem æqualem ſuperficiei ſphæræ; Altitudinem verò æqualem ſemiaxi? 32 l 1.

Conſect. $\frac{2}{3}$ Cylind: $=$ Sphæræ $=$ 2 Conis. Nam $\frac{\varpi}{3\delta}$Rq$\times$4R $=$ Sphæræ. Et $\frac{\varpi}{\delta}$ Rq $\times$ 2R $=$ Cylindro. $\frac{\varpi}{3\delta}$Rq $\times$ 2R $=$ Cono.

XVII. Si figura ejuſmodi ſive inſcribatur, ſive circumſcribatur, ſegmento ſphæræ, puta A$\delta\varepsilon$, cujus baſis ſit $\delta\varepsilon$; altitudo Aη; fiatque Bα, M, Aη $\ddot{\div}$: vel, quod idem eſt, per 9, BC $+$ DE $+$ Fφ $+ \frac{1}{2}\delta\varepsilon$, M, AB $\ddot{\div}$: Dico $\frac{\varpi}{\delta}$ Mq $=$ ſuperficiei figuræ illius mancæ. Nam per 2, $\frac{\varpi}{\delta}$ $\frac{1}{2}$BC in AB $= \frown$ ABC. Et per 4, $\frac{\varpi}{\delta}$ $\frac{1}{2}$BC $+ \frac{1}{2}$DE in AB $= \frown$ DBCE: Et $\frac{\varpi}{\delta}$ $\frac{1}{2}$DE $+ \frac{1}{2}$Fφ in AB $= \frown$ FDEφ. Et $\frac{\varpi}{\delta}$ $\frac{1}{2}$Fφ $+ \frac{1}{2}\delta\varepsilon$ in AB $= \frown$ δF$\varphi\varepsilon$. Ergo 33. 37 l 1.

XVIII. Figuræ ejuſmodi mancæ, ſi ſegmento ſphæræ, puta A$\delta\varepsilon$, inſcribatur, ſuperficies $\frac{\varpi}{\delta}$Mq $\sqsubset \frac{\varpi}{\delta}A\delta$q. Nam A$\delta$q $=$ A$\alpha \times$ A$\eta \sqsubset$ B$\alpha \times$ Aη.

Sin

Sin circumſcribatur, ſuperficies $\frac{\pi}{\delta}$ Mq $\sqsubset$ $\frac{\pi}{\delta}$ Aδq. Nam Bα = 2IQ eſt diameter ſphæræ interioris ſive contentæ. Eſtque An $\sqsubset$ Qn. Quare $\frac{1}{2}$ M protenditur ultra IQ diametrum ſphæræ contentæ. 35. 38. 41 l 1.



XIX. Quidni igitur ipſa ſuperficies ſegmenti ſphæræ æqualis ſit circulo, cujus ſemidiameter eſt recta ducta a vertice ſegmenti in finem baſis? 40 l 1.

XX. Figura ejuſmodi manca, ſive inſcribatur ſegmento ſphæræ, puta DAE minori ſemicirculo, vel DαE majori, æqualis eſt Cono habenti baſem æqualem ſuperficiei illius figuræ mancæ; altitudinem verò

verò æqualem perpend: IP è centro in latus figuræ, adjecto vel ablato Cono DIE medio; hoc eſt, toti ſolido DBACEI, vel reliquo DFδβαγεφEI. Nam in ſolido minore DBA = CEI, per 6, Rhomb: BACI = $\frac{1}{3}$ ∩ BAC in IP. Et per 8, $\frac{1}{3}$ ∩ DBCE in IP = excavato DBICE. Ergo. Et ſimiliter de majore DFδβαγεφEI. 36. 39 l 1.

Conſect. Quare & per 18, Si figura ejuſmodi ſegmento ſphæræ, puta DAE, vel DαE, inſcribatur, totum ſolidum minus eſt Cono, cujus baſis eſt circulus a ſemidiametro AD, vel αD; & altitudo ſemiaxis IA.

XXI. Quidni igitur Sector ſphæræ DBACEI, æqualis ſit Cono $\frac{\varpi}{3\delta}$ ADq in IA; & reliquus Dα = EI, æqualis Cono $\frac{\varpi}{3\delta}$ αDq in IA? 42 l 1.

XXII. Si fiat Hα. Hα + Iα :: HA. HS: Dico $\frac{\varpi}{3\delta}$ DHq in HS = ſegm: ſphæræ DAE. Nam Hα. HA :: Hα + Iα − Hα. HS − HA :: Iα. AS. Eſtque (Iα + AS) IS. IA :: (Hα + HA) Aα. Hα :: Aαq. αDq :: ADq. DHq. Quare $\frac{\varpi}{3\delta}$ DHq × IS = $\frac{\varpi}{3\delta}$ ADq × IA = ſegmento DAE + (Cono DIE) $\frac{\varpi}{3\delta}$ DHq × IH.



Ergo

Ergo $\frac{\varpi}{3\delta}$ DHq$\times$HS (IS $-$ IH) $=$ ſegmento DAE.

Conſectarium. Quia $\frac{HA \text{ in } H\alpha + I\alpha}{H\alpha} =$ HS: Erit $\frac{\varpi}{3\delta}\ \frac{DHq \times HA \text{ in } H\alpha + I\alpha}{H\alpha} =$ ſegmento DAE. Quare $H\alpha.\ H\alpha + I\alpha :: \frac{\pi}{3\delta}$ DHq$\times$HA. ſegm: DAE. 2 1 2.

FINIS.

HOROLOGIORUM SCIOTERICORUM IN PLANO,

Geometricè ſolùm, ſine Calculo Trigonometrico, delineandorum,

MODUS FACILLIMUS.

PER QUEM Meridiana, Subſtylaris, & Stylus ipſe, non inveſtigantur modò, ſed etiam, in cujuſvis generis Plano, ſitu proprio inſcribuntur, omniaque perſpicuè demonſtrantur.

Inventore GUILELMO OUGHTREDO 23um Ætatis Annum agente.

OXONIÆ,
Excudebat LEON. LICHFIELD, Veneunt apud THO. ROBINSON. 1652.

HOROLOGIA SCIOTERICA
IN PLANO,
Geometricè delineandi Modus.

Cap. I.
De Planis.

IN Hypothesin illam Astronomicam, quòd Terra nullius quantitatis sensibilis cum Sphæra Solari comparata, sed tanquam Punctum, habeatur: Ars Horologiographica præcipuè innititur. Planum enim in quo describitur Horologium, supponitur Parallelum majori alicui Circulo Cœlesti, qui tantùm à Plano distat quantum ab eodem Plano punctum aliquod pro Apice styli assignatum.

In Plano; primo considerandus erit Situs, qui est vel respectu Horizontis, vel Meridiani.

Reſpectu Horizontis; Planum eſt vel Parallelum, (& huic inſcriptum Horologium, *Horizontale* vocatur;) vel Perpendiculare, (cujus generis ſunt Muri omnes erecti;) vel Obliquum; quod rurſus, vel Pronâ facie nutat, & vocatur *Inclinans*; vel Declivi & ſupinâ ſuperficie reſidit, & vocatur *Reclinans*.

Inclinationis iſta & Reclinationis Obliquitas, per arcum alicujus Azumith (ſive Circuli Verticalis) inter Loci Verticem & Planum intercepti menſuratur, quod quidem Azumith Plano Perpendiculare eſt, & Quadrantis ope, in *90* Gr: diviſi, facillimè invenitur.

Reſpectu Meridiani; Planum eſt vel Directum; vel Declinans. Planum Directum eſt, quod Punctum aliquod è quatuor Cardinalibus directè reſpicit: Eſtque, vel Meridiano Perpendiculare, qualia ſunt plana Meridionalia & Borealia: vel Parallelum, qualia ſunt Orientalia & Occidentalia. Planum Declinans eſt, quod non directè Puncto alicui Cardinali opponitur; ſed à Meridie aut Septentrione, verſus Orientem aut Occidentem, declinat.

Declinatio plani eſt Arcus Horizontis, inter Sectionem plani horizontalem, & punctum Orientis vel Occidentis, interceptus; Vel, eſt Arcus Horizontis, qui inter Meridianum & Polum Sectionis Horizontalis intercipitur.

Inveſtigatio Declinationis Plani cujuſque aut Muri difficilior aliquantum. Tutiſſimam viam arbitror (quoniam Acus Magnetica facilè diſtrahitur) eſſe per Tabulam Rectangulam, uncias fere duodecim longam, latam *6*; Cui Semicirculus à medio utrinque in

in *90* gradus diviſus inſcribitur, ſtylúſque à Centro erigitur, ut in Schemate ſubjecto videre eſt.



Uſus hujus Inſtrumenti talis eſt. Quolibet die (datâ prius Declinatione Solis) ante decimam Horam AM (i. e. ante Meridiem) vel poſt ſecundam PM (i. e. poſt Meridiem) applicetur Muro Latus Inſtrumenti AB, ita ut Horizonti maneat Parallelum, & quem Gradum Styli Umbra vel in Dextro vel Siniſtro Quadrante notet obſerves, quam idcirco [*Umb: Dextr:*] vel [*Umb: Siniſtr:*] voco: Deinde quàm citiſſimè Solis Altitudinem inquiras. Jámque Solis, tam à Polo Boreali, quàm á Vertice, Diſtantiam, ſimulque Altitudinis Poli Complementum, adeptus; quære (aut ex Analemmate, aut Projectione Horizontali, vel tandem Trigonometricè) Azumithalem Solis à Meridie diſtantiam. Denique, cum Tempore Diei, Solis Azumith, Stylíque Umbrâ, Tabellam ſequentem pete; &, facto quod ibi faciendum præcipitur, verum Muri ſitum habebis.

AM.	Azum: - Umb: Sin:	A Meridie in Ortum.
AM.	Azum: + Umb: Dext:	
PM.	Umb: Dext: - Azum:	
AM.	Umb: Sin: - Azum:	A Meridie in Occaſ.
PM.	Azum: + Umb: Sin:	
PM.	Azum: - Umb: Dext:	
AM.	Azum: + Umb: Dext: ex 180	A Septentrione in Ortũ.
PM.	Azum: + Umb: Sin: mi: 180	
PM.	Azum: + Umb: Sin: ex 180	A Septentrione in Occaſum
AM.	Azum: + Umb: Dex: mi: 180	
AM.	Azum: + Umb: Sin: = 90	In Ortu.
AM.	Azum: - Umb: Dex: = 90	
PM.	Azum: - Umb: Sin: = 90	In Occaſu.
PM.	Azum: + Umb: Dex: = 90	
	Azum: - Umbra = 0.	In Septentr:
	Azum: + Umbra = 180.	In Meridie.

Exempli gratia. Julii 15 poſt Meridiem, inveni Umbram in Gradu 30 Dextri Quadrantis; Solem vero altum 23 grad: & gradum ferè 20um Declinationis Borealis attingentem; unde Azumith erat, gr: $91\frac{1}{2}$. At in Tabula [PM. Azum: - Umb: Dex:] eſt à Meridie in Occaſum: quocirca $91\frac{1}{2}$-30, i.e. $61\frac{1}{2}$ eſt Declinatio Muri Meridionalis in Occaſum vergentis.

Rurſus; Eodem Julii 15° poſt Meridiem, inveni Umbram in 57 Gr: Siniſtri Quadrantis; & Altitud: Solis 22 $\frac{1}{10}$: Unde Azumith erat graduum 93. At [PM Azum: + Umb: Sin: ex 180] eſt à Septentrione in Occaſum. Ergo 93+57 ex 180, id eſt, 30 gr: eſt

eſt Muri Borealis in Occaſum vergentis Declinatio.

Prout Horizontem, Meridianumve, reſpicit Murus aut Planum, ita Nomen ſuum quod in eo deſcribitur Horologium ſortitur; veluti, ſi Planum Reclinans, Declinet etiam à Meridie in Ortum, ejuſdem Horologium dicitur Meridionale Reclinans Declinans in Ortum.

Cap. II.

Linearum, quæ in deſcribendis Sciotericis præcipue uſui ſunt, Declaratio.

1. Lineæ Horariæ, ſunt interſectiones Circulorum Horariorum cum Plano Scioterici.

2. E Lineis Horariis, Principalis eſt Meridiana, ſeu Linea horæ duodecimæ, quæ eſt ipſa interſectio à plano Meridiani loci cum plano Scioterico facta. Et, ab hâc, Linearum Horar: diviſio principium ducit.

3. Circulorum Horariorum plana omnia in planum Æquinoctiale perpendiculariter cadunt, dividuntque æqualiter in 24 partes, per lineas rectas quæ ſunt Lineæ Horarum in Æquinoctiali; at cætera plana omnia dividunt inæqualiter. Circulorum autem Horariorum communis Interſectio in Polis eſt & Axe Mundi ſive Æquinoctialis.

4. Horologii Stylus (lineam illam intelligo à qua Umbra projicitur) Axis Mundi ſegmentum eſſe ſupponitur; ideóque ita ſemper locandus eſt, ut extremitatibus

mitatibus ſuis exactè Mundi Polos reſpiciat, extremitate ſc: ſuperiori polum apparentem & inferiori occultum.

5. Quare, ſi planum interſecet mundi Axin, Sciotericum in eo deſcriptum Centrum habebit, è quo Lineæ omnes Horariæ ducuntur: At ſi Planum Axi Parallelum ſit, non habebit Centrum ſed Lineæ omnes Horariæ erunt tum Stylo tum ſibi invicem parallelæ.

6. Subſtylaris eſt Linea Plani Stylo proxima, cui Stylus perpendiculariter imminet; eſt enim Meridianus Loci illius in Terra, cui Planum eſt Horizontale; in Ortum à ſubjecto Loco elongati, ſi Subſtylaris inter Horas Matutinas cadat; at in Occaſum, ſi inter Pomeridianas: Differentia Longitudinum, eſt Arcus Æquinoctialis inter Subſtylarem & Meridianum Æquinoctialis interceptus.

7. Elevatio Poli ſupra Planum Scioterici, eſt Angulus quem Stylus conſtituit cum Subſtylari.

8. Eſt alia inſuper Linea inſignioris uſus, Interſectio ſcilicet Plani Æquinoctialis cum Plano Horologii; vulgò *Linea Contingens*, quoniam in eâ ſolâ Lineæ Horariæ Scioterici, Lineæque Horariæ Æquinoctialis ſeſe mutuò interſecant; Et, quoniam Centrum Æquinoctialis in ipſo Axi eſt, ejuſmodi Linea Subſtylarem ad rectos angulos ſecat.

9. In Planis omnibus Auſtralibus, Polus Auſtralis elevatur; in Borealibus, Borealis: duobus tantum Caſibus exceptis, (ut ſuo Loco dicetur,) in quibus Polus oppoſitus elevatur; ideoque Subſtylaris & Stylus inventus trans Centrum in oppoſitam Partem protrahendus erit.

10. Scio-

10. Scioterici Delineatio tribus diſtinctis Operationibus perficitur; hoc Ordine: Prima eſt, Meridianam, Subſtylarem, & Stylum, debitis Locis inſcribere. Secunda eſt, Lineam Contingentem ducere; & Æquinoctialem, cum Meridiana, Lineiſque ejus Horariis, ad Contingentem uſque protrahere. Tertia eſt ipſas Scioterici Lineas Horarias deſcribere, & Numeris propriis notare.

11. Eadem Meridianæ, Subſtylaris, & Styli Inſcriptio duobus aliquando diverſi Generis Sciotericis inſervit: ſcilicet, vel Chartam cui inſcribuntur ſurſum vorſum invertendo, ut in directè Septentrionalibus aut Auſtralibus; vel faciem averſam ejus oſtendendo ut in Orientalibus aut Occidentalibus Erectis. Aliquando etiam quatuor Generis inſervit; tam Anteriorem quam Averſam faciem Invertendo.

CAP. III.

De Scioterico Horizontali.

1. IN Plano Horizontali, Meridianus, ſeu Linea Duodecimæ, à Septentrione in Meridiem exactè ducitur; ideoque Meridiano Loci ſubeſt: Eadem quoque Subſtylaris eſt: & Angulus Styli ſupra eam inclinati, æqualis eſt Elevationi Polari, ſeu Latitudini, Loci.

2. Ut delineetur igitur, Duc in Plano Lineam Ortum & Occaſum directè indicantem; hanc in Puncto A, circa medium, ſecet perpendicularis AM; quæ

quæ ſimul & Meridiana & Subſtylaris erit; Punctum autem A Centrum erit Scioterici; & Linea Prima *Or. Oc.* Hora 6ta.



Pedem circini in puncto A fige, & altero pede ad quodvis Meridianæ latus Quadrantem deſcribe; in quo, à Meridianâ incipiens, arcum MT Altitudini Polari æqualem numera; &, per terminum ejuſdem, è Centro A, Lineam AT producito, quæ Stylum dabit.

Cap. IV.

De omnimodis Sciotericis directè Septentrionalibus, aut Auſtralibus; ſive Erecta ſint, ſive Obliqua.

1. IN Planis omnibus directè Septentrionalibus aut Auſtralibus, tam erectis quam obliquis, Meridiana

ridiana in Lineam Horizonti parallelam perpendiculariter cadit; Eadémque Subſtylaris eſt.

2. Si Planum Erectum ſit, Elevatio Styli ſupra Subſtylarem, æqualis eſt Complemento Elevationis Polaris.

3. Si Planum ſit Auſtrale Inclinans, vel Septentrionale Reclinans; Elevatio Styli ſupra Subſtylarem, æqualis eſt Complemento Altitudinis Polaris, & Obliquitati, ſimul ſumptis. At ſi Obliquitas Altitudini Polari major ſit, tum Angulus Elevationis Styli erit Recto Major: Si verò æqualis fuerit, Planum æquinoctiali Parallelum eſt; Stylus ergo è Centro A ad rectos angulos erigendus eſt.

4. Si Planum ſit Auſtrale Reclinans, vel Septentrionale Inclinans; Elevatio Styli ſupra Subſtylarem, æqualis eſt Differentiæ, Complementi Altitudinis Polaris, & Obliquitatis. At ſi Obliquitas, Complemento Polari, major fuerit; Polus oppoſitus elevatur, (qui unus eſt è caſibus antea memoratis *Cap.* 2. *Sect.* 9.) Si verò Obliquitas, Complemento Polari, æqualis fuerit; Planum Axi parallelum eſt: ideóque Sciotericon in eo deſcriptum Centro carebit; uti dictum eſt *Cap.* 2. *Sect.* 5.

5. Ad delineandum igitur quodvis hujus generis Sciotericon, ducatur primùm in Plano Linea Horizonti parallela (quæ ſimul in Ortum & Occaſum dirigitur): Hæc circa medium in Puncto A ſecetur à Perpendiculari AM, quæ & Meridiana & Subſtylaris erit; Punctum autem A Scioterici Centrum erit, (ſi ſaltem Centrale fuerit,) & linea illa prima *Or. Oc.* Hora VIta modò omnino reperiatur. Pede circini in

in puncto A fixo, ad quodvis Meridianæ latus, pede altero Quadrantem describe, (infra lineam *Or. Oc.* in Australibus Planis, supra verò in Septentrionalibus;) & in hoc Quadrante, à Meridianâ, numera arcum MT, æqualem Elevationi Styli supra Substylarem, (per 2am, 3am, 4am Sectionem inventæ;) Et è Centro A, per Terminum ejusdem, duc Lineam AT Styli futuri; ut in Schemate præcedenti transpositis solum Literis *Or. Oc.*



Cap. V.

De Sciotericis, Directè Orientalibus & Occidentalibus, Erectis.

IN directè Orientalibus & Occidentalibus Erectis; nec Centrum est nec Meridiana, cùm Planum hujusmodi plano Meridiani parallelum sit: Sed Substylaris in lineam Horizonti parallelam, ad angulum Altitudini Polari æqualem, insistit, Septentrionem supernè indicantem: Stylus autem ei parallelus imminet.

Ad

Ad Sciotericum igitur hujusmodi delineandum, ducatur in Plano linea Horizonti parallela, notatis extremitatibus ejus ad Boream & Meridiem. Et Centro A, prope Meridionalem extremitatem electo, Quadrantem versus Borealem describe; In quo arcum BC Altitudini Polari æqualem designans, Lineam AC Substylarem extende.



Cap. VI.

In Planis, directè Orientalibus & Occidentalibus, Inclinantibus aut Reclinantibus, Meridianam, Substylarem, & Stylum inscribere.

1. PRimo, Ducatur in plano Meridiani, linea Horizonti parallela AB, notatis extremitatibus ejus ad Boream & Meridiem. Hæc circa medium secetur à perpendiculari AC: Punctúmque A Centrum erit. Pedum altero circini ad punctum A fixo, altero ad Lineam AC Diametri extenso, Quadrantem describe, (infra Lineam primam, AB, versus Meridiem, si Planum inclinet; suprà verò ad Boream, si reclinet:) Et, à Diametro AC incipiens, numera in Quadrante congruo tam Obliquitatem, quàm Altitudinis Polaris Complementum; Et, per Arcuum extremitates, è Centro A, Binæ producantur lineæ; quarum una vocetur, Linea *Obliquitatis*; altera, Linea *Polaris*.

Deinde

Deinde in linea prima AB, è regione Quadrantis congrui, abſcindatur idoneum ſegmentum AB: &, per punctum B, duc lineam Diametro parallelam, lineam Polarem in P intercipientem. Quarta denique lineâ ipſi AB parallelâ, Lineámque Obliquitatis in O ſecante, claudatur Parallelogrammum ABPC.

Deinde, ponatur AK=AO=BL, verſus CP; & ducatur linea Horizontalis KL.

Poſtremò, ſuper Lineam Obliquitatis AO, menſuretur AN=CO, & ducatur NR ipſi AB parallela, deinde ſuper LB verſus B, ponatur LS=NR. Producatur AS pro Subſtylari; in quâ, à Puncto S, erigatur ad rectos angulos ST=AR: &, pro Stylo, producatur AT, Subſtylari ad Angulum SAT inſiſtens. *Exemplum Scioterici in Plano Directo Orientali, Inclinante grad. 30. Vide in Figura A.*

Demonſtratio. Protrahe Lineas AC & BP ad uſq; κ & λ, addendo illis Longitudinem ipſius CO. Conſtitue dein Triang: Rectang: BPλ=ACO: Et, Plano in Lineis Bλ. Pλ. diſſecto, plicentur Lineæ CP & BP ad rectos angulos, (Antrorſum quidem pro Inclinantibus, Retrorſum pro Reclinantibus Planis,) adeo ut Punctum λ in Triangulo, & alterum λ in linea Pλ coincidant: adeoque Plana ACBP, & BPλ in Planum Horizontale PCκλ ad Rectos Angulos inſiſtent. Atque, in hoc ſitu, quatuor cogitanda ſunt Plana; Planum ſc. Horizontale PCκλ, Planum Erectum ACPB (quod Meridiani Planum eſt,) & Planum Obliquum ABλκ=ABLK Plano Declinationis, quoniam Bλ=BL. Jam, ſi à Puncto P ducatur Linea Pσ, perpendicularis Hypotenuſæ Pλ Rectang: Triang: APλ:

Orientale Directum Inclinans gr. 30.

Si linea κλ & triangulum BPλ deſint, erit Figura A.



Orientale Reclinans gr. 30.



$AP\lambda$: patet, quòd linea imaginaria AC, Substylaris erit Plani Obliqui; &, quòd illi respondeat AS, in Plano Delineationis: quódque Altitudo Styli, in Puncto σ, sit $P\sigma = AR = ST$. Nam Triang: Rectang: $P\sigma\lambda = ANR$, quoniam Hypotenusa $P\lambda = AN$; & Angulus $B\lambda P = ANR$, est Complementum Obliquitatis. *Demonstrationi inservit Figura AA.*

Cap. VII.

In Planis Australibus aut Septentrionalibus Erectis, Declinantibus in Ortum aut Occasum, Meridianam, Substylarem, & Stylum inscribere.

1. DUcatur primò Linea Horizonti Parallela AB. Distinguantur etiam extremitates ejusdem seu Plagæ ad Ortum & Occasum. Secetur autem in Puncto A, circa medium, à Perpendiculari AC, quæ Meridiana erit; Punctum A verò Centrum Scioterici.

Circini pedum altero in Centro A fixo, & altero ad AC tanquam Diametrum extenso, semicirculum à plagâ Declinationi contrariâ describe. In cujus quadrante (inferiori, si Meridionale sit Planum; superiori verò, si Septentrionale,) tam Declinationem, quam Complementum Elevationis Polaris, ab AC Diametro incipiens, numera: &, per arcuum duorum extremitates, binæ è Centro lineæ producantur, quarum una vocetur Linea *Declinationis*, altera *Polaris*. Deinde in Linea prima AB, versus Semicirculum, segmentum abscinde congruum AB: & à Puncto B producatur

producatur linea Diametro parallela, lineam Polarem in P secans: quartâ denique lineâ PC, ipsi AB parallelâ, claudatur Parallelogrammum ABPC. Jam, super Lineam Declinationis, aptetur AD=AB; pérque D, ducatur etiam FDE Diametro Parallela, Lineam AB in F, PC in E, secans.

Postremò, Pro Substylari producatur AE, super punctum verò E, ad rectos angulos, erigatur ET =DF; &, pro Stylo, ducatur AT, Substylari ad Angulum EAT insistens.

Exemplum Scioterici in Plano Australi erecto, Declinante in Ortum gr: 42. 30'. Vide in Figura B. Ubi tamen, cœlantis incuriâ, deest lineâ AP.

2. Demonstratio. Si Parallelogrammo ACEF, adjiciatur Triangulum CEX=AFD, tanquam in Plano Horizontali in quod Parallelogrammum ACEF ad Rectos Angulos insistere supponitur, (plicato nempe in Linea CP Plano,) perspicuè patet Rectangulum Triangulum ACX=ACP esse Gnomonem seu Stylum Horizontalem, Lineam verò CX Meridianam Plani Horizontalis, Stylumque AX Mundi Axin, & Rectangulum Triangulum AET =AEX Gnomon erecti Plani. *Demonstrationi inservit Figura* BB.

3. Notandum est, quòd in Planis omnibus Declinantibus, quamvis etiam obliqua sint, semper incipiendum erit ab ejusmodi Figurâ, AFDECX (uti jam præceptum est,) secundum Declinationem, Muri Planive dati, delineatâ; cui addenda est etiam DG ipsi AF Parallela, erit ergo AG=XE. Quod semel monitum sufficiat.

CAP.

Meridionale erectum, Declinans versus Orientem.



Si omittatur linea CX, erit Figura B.

Septentrionale erectum, Declinans versus Orientem.





Meridionale, Declinans versus Orientem gr: 42½.
& Inclinans gr: 24.



Septentrionale, Declinans versus Orientem,
& Reclinans.

Cap. VIII.

In Planis Australibus Declinantibus & Inclinantibus, vel Septentrionalibus Declinantibus & Reclinantibus, Meridianam, Substylarem, & Stylum inscribere.

1. Delineetur (ut prius *Cap.* VII. *Sect.* 3. præmonitum est) Figura AFDECX, ad datam Declinationem. Deinde, à Diametro AC incipiens, Plani Obliquitatem in Semicirculo numera; ductâq; Obliquitatis Lineâ AO, ponatur AK=AO=FL versus CE; & producatur Linea Horizontalis LK. Sumatur AH=CO; ductâque HI ipsi AB parallelâ, abscindatur à Linea Horizontali KM=HI ad alterum Diametri latus: & pro Meridiano ducatur AM.

Postremò, Super Lineam Obliquitatis AO, mensuretur AN=AG+AH: & ducatur NR ipsi AB parallela: tum, super Lineam LF versus F, ponatur LS=NR, & protrahatur pro Substylari AS: à Puncto autem S, ad rectos Angulos, erigatur ST=AR: &, pro Stylo, producatur AT, Substylari ad angulum SAT insistens.

Exemplum Scioterici in Plano Australi, Declinanti in Ortum 42°, 30′; & Inclinanti 24°, 0′. Vide in Figura C.

Cap. IX.

In Planis Meridionalibus Declinantibus & Reclinantibus, vel Septentrionalibus Declinantibus & Inclinantibus, Meridianam, Subſtylarem & Stylum inſcribere.

1. Delineetur ad Datam Declinationem (uti prius *Cap.* 7. *Sect.* 3. præmonitum eſt) Figura AFDECX.

Deinde, à Diametro AC incipiens, Plani Obliquitatem in ſemicirculo numera; &, ductâ Lineâ Obliquitatis AO, ponatur AK=AO=FL, verſus CE; & ducatur Linea Horizontalis KL.

Deinde menſuretur AH=CO: &, ductâ HI ipſi AB parallelâ, ſumatur in Linea Horizontali KM=HI, & ad idem Diametri Latus; & ducatur, pro Meridiano, AM.

Poſtremò, in Obliquitatis Lineâ AO ponatur AN =GH differentiæ ſc. inter AG & AH: & ducatur NR, Lineæ AB Parallela.

Tum, ſi AG⊏AH (hoc eſt, EX⊏CO) ſuper lineam LX verſus X ponatur LS=NR. At ſi AG⊐AH (hoc eſt, EX⊐CO) ſuper Lineam LF verſus F ponatur LS=NR. Producatur pro Subſtylari AS; ſuper quam, à Puncto S, erigatur ad rectos angulos ST=AR, & producatur Linea Stylaris AT, Subſtylari ad Angulum SAT inſiſtens. Et in hoc Caſu ſecundo, quum AG⊐AH, Polus oppoſitus elevatur, (qui è Caſibus duobus Alter eſt *Cap.* 2. *Sect.* 9. memoratis.) Et ſi AG=AH, hoc eſt EX=CO, Planum Axi Parallelum eſt; & quod in eo deſcribitur Sciotericum

tericum Centro carebit (ut *Cap.* 2. *Sect.* 5. monſtratum erat:) &, in iſto Caſu, AM Subſtylaris erit, non autem Linea Duodecimæ.

EXEMPLUM I.

Meridionale, Declinans verſus Orientem gr: 42½. *& Reclinans gr.* 18. *pro Latitudine gr.* 51.30′.



Septentrionale, Declinans verſus Orientem, gr. 42½. *& Inclinans gr.* 18. *pro Lat. gr.* 51. 30′.

EXEMPLUM II.

Meridionale Declinans versus Orientem gr: 42½. & Reclinans gr: 40½. pro Latit: 51°. 30′.



Septentrionale Declinans versus Orientem gr: 42½. & Inclinans gr: 40½. pro Lat: gr: 51½.

EXEMPLUM III.

Meridionale Declinans versus Orientem gr: 42½. & Reclinans gr: 30⅓. pro Latit: 51°. 30′.



Septentrionale Declinans versus Orientem gr: 42½. & Inclinans gr: 42½. pro Latit: gr: 51½.

Demonſtratio operis in Capitibus VIII & IX. Si Sciotericon Auſtrale fuerit Declinans ſimul & Inclinans; adauge Planum CEX, Papyrum adglutinando lineæ CE, (at ponè Planum ACEP;) in qua ſub lineis CA & EF ponantur diſtantiæ $C\kappa$ & $E\lambda = CO$; & per puncta $\kappa\lambda$ ducatur linea interminata.

Si verò Auſtrale fuerit Declinans ſimul & Reclinans, protrahe lineas AC & FE verſus X, ad κ uſque & λ, addendo illis ipſam CO; & per puncta $\kappa\lambda$ ducatur linea interminata.

Deinde, ponatur Triang: Rectang: $FE\lambda = ACO$; &, diſſectâ Chartâ in lineis $E\lambda$, $P\lambda$, plicetur in lineis CE, FE, ad rectos angulos: (retrorſum quidem in Auſtralibus Inclinantibus, antrorſum in Auſtralibus Reclinantibus,) ita ut λ Trianguli, coincidat cum altero λ lineæ $E\lambda X$. Plana igitur ACEF & ELP, ad rectos angulos inſiſtent Plano Horizontali $XEC\kappa\lambda$. Atque in hoc Situ quinque concipienda ſunt Plana; Planum ſc: Horizontale, $XEC\kappa\lambda$; Planum Erectum, ACEF; Planum Meridiani, ACX; quod etiam Gnomon Horizontale eſt; Planum Obliquum, $AF\lambda\kappa = AFLK$ Plano Declinationis, quoniam $FL = F\lambda$. Tum, ſi à puncto X ducatur linea $X\sigma$ perpendicularis ipſi $F\lambda$ hypotenuſæ Triang: Rectang: $FE\lambda$; patet, lineam imaginariam $A\sigma$ Subſtylarem eſſe Plani Obliqui; eique Lineam AS in Plano Declinationis congruere; & Styli Elevationem à Puncto σ eſſe $X\sigma = AR = ST$; nam Rectang: Triang: $X\sigma\lambda = ARN$, quia Hypotenuſa $X\lambda = (AG \pm AH)\ AN$, & Angulus $F\lambda E = ANR$ Complemento Obliquitatis. Patet etiam, quod in *Caſu* 2do, *Capitis* 9ni, ubi $AG \sqsupset AH$, hoc

eſt, $EX \sqsupset E\lambda$, Polus oppoſitus elevetur.

Poſtremò, Si Meridianus Horizontalis CX producatur donec Lineæ $\lambda\kappa$ in puncto μ occurrat; Linea $\kappa\mu$ æqualis erit & parallela ipſi $KM = HI$; nam Rect: Triang: $G\kappa\mu = AHI$, quoniam $C\kappa = CO = AH$, & Ang: $\kappa C\mu = ECX = HAI$.

Demonſtrationi inſerviunt Figuræ Literis duplicibus notatæ CC. DD. EE. FF. *Figuris* C, D, E, F, *congruentes.*

Meridionale Declinans versus Orientem, & Reclinans:
In quo AG⊏AH, *hoc est*, EX⊏(CO=)Eλ.



Septentrionale Declinans versus Orientem, & Inclinans.

Meridionale Declinans versus Orientem, & Reclinans:
In quo $AG \sqsubset AH$. *Hoc est* $EX \sqsubset (CO =) E\lambda$.



Septentrionale Declinans versus Orientem & Inclinans.

Septentrionale Declinans versus Orientem, & Reclinans: In quo G & H *sunt idem punctum: Hoc est,* X & λ: *Vel* CO = EX.



Septentrionale Declinans versus Orientem & Inclinans.

Cap. X.

Lineam Contingentem, & Æquinoctialem, cum Meridiana cæterisq; Lineis ejus Horariis, ducere.

1. PEr Regulas præcedentes (secundum Plani situm) debitè inscriptis, Meridiana AM, Substylari AS, & Stylo AT; accipiatur in Substylari (ubi magis appositum videbitur) punctum quodlibet Q, è quo linea longissima ad rectos angulos extendatur; cujus extremitas ad Ortum literis *Or*, ad Occasum *Occ*, notetur. Hæc Linea *Or*. *Q*. *Oc*. vulgò *Linea Contingens* dicitur; & reverâ est Unicâ Communis Intersectio plani Æquinoctialis, & plani Sciotericí. Ubi hæc linea secat Meridianam AM, affige Literam N.

2. Centrum Æquinoctialis Æ, (è quo describendus est in Sciotericis Centralibus,) punctum est in Substylari, quod à puncto Q tantum distat, quantum ipsum Q, à vicinissimo Styli Puncto, Circino distare inveneris. At si non fuerit Centrale Sciotericum: quodlibet Substylaris punctum pro Centro Æquinoctialis assignare licet; hâc tantum observatâ Regulâ, quod quantum à Contingente distat Centrum Æquinoctialis, tantum à Substylari Stylum distare & parallelos eminere necesse est.

3. Hoc itaque modo investigato Æquinoctialis Centro Æ, describatur ex eo (quolibet autem Intervallo,) *Contingentem* versus, Semicirculus Æquino-

ctialis; hoc est, ab utroque Substylaris Latere Qua-
drans. Deinde, Punctis Æ,N, admotâ Regulâ, du-
catur Linea ÆN, Circulum Æquinoctialis secans in
M. Linea autem ÆM Meridiana Æquinoctialis erit;
à quâ sumitur initium Æquinoctialis utrinque divi-
dendi in Horas, per Arcum 15 Graduum, vel in Se-
mihoras per dimidiatos ejusmodi Arcus. Per divi-
siones verò singulas, è Centro Æ, obscuræ producen-
dæ sunt lineæ ad Contingentem terminatæ: Quæ
Lineæ Horariæ Æquinoctialis erunt.

4. Inde hæc oriuntur Consectaria. Primò, quòd
in omnibus Sciotericis, quibus eadem Linea & Meri-
diana simul & Substylaris est, eadem quoque est Me-
ridiana Æquinoctialis.

Secundò, quòd in Orientalibus & Occidentalibus
Erectis, Illa Æquinoctialis Diameter quæ Lineæ Con-
tingenti parallelωs jacet, ejusdem est Meridiana.

Tertiò, quòd Arcus Æquinoctialis inter Meridia-
nam ejus, & Substylarem est Differentia Longitudi-
nis, seu Meridiani, Loci subjecti, & Loci illius in
Terra cui Planum istud Horizontale est; Locus au-
tem iste ad easdem Partes Substylaris ubi Meridiana
situatur; hoc est, ad Plagam illam cui vergit Decli-
natio, Orientem sc. vel Occidentem: At si Arcus
iste nihil fuerit, idem est utriusque Loci Meridianus,
& Latitudine tantum differunt.

Quartò, quod Orientalia & Occidentalia Erecta,
Illis sunt Horizontalia, qui, sub Æquinoctiali, à Me-
ridiano Loci gr. 90. in Ortum aut Occasum distan-
tes habitant.

Postremò,

Postremò, quòd Orientalibus aut Occidentalibus,
Inclinantibus aut Reclinantibus, Meridianus est à
Meridiano Loci minùs 90 gr. remotus; & quò ma-
jor Planorum Obliquitas, eò minor Meridianorum
Differentia est.

5. Accipiemus, Exempli gratiâ, Sciotericon (*Ca-
pitis* VIII^i^) Australe, in Ortum Declinans gr. 42°.
30′, Inclinans 24°. 00′; ut in *Figura* C. Cujus haud
opus esse, opinor, Practicen ex integro deponere,
quum perspicuè satis in hoc Capite jam tractata sit:
sufficiat Lineas ipsas cum symbolis seu notis suis de-
scribere.

 6. In



6. In tertio autem Casu *Capitis* IX; quoniam AM Substylaris est, & non Linea XIIæ. Meridiana Æquinoctialis peculiari Methodo indagatur, secundum hoc Theorema.

Ut Radius. ad Sinum Declinationis, ::
Ita Sinus Complementi Obliquitatis.
Ad Arcum Æquinoctialis, qui est distantia, Meridianæ Æquinoctialis à Substylari versus plagam Declinationis.

Geometricè

Geometricè verò sic perficitur. Radio AB describatur Arcus BD : & super Lineam Obliquitatis AO, ponatur AZ=AF ; &, per punctum Z, ducatur Linea ZY, ipsi AB parallela, & Arcum BD secans in Y: jungantur etiam AY : adeoque habetur Angulus BAY ; cui Angulus æqualis AÆ*m* ponatur intra Circulum Æquinoctialem. Accipiatur, Exempli gratia, Sciotericon (in 3tio *Casu* IXi *Capitis*) Australe Declinans in Ortum 42°. 30′. Reclinans 30†.



Cap:

Cap. XI.

Lineas Horarias describere, & propriis quamque numeris notare.

1. QUoniam Linea Contingentiæ *Or.Q.Oc.* unica est Linea utrisque Planis, tum Æquinoctialis tum Scioterici, communis, & in eâ designatos habes Linearum omnium Horariarum Terminos, facillimum erit & ipsas Lineas Horarias ducere.

2. Nam, si Scioterico Centrum fuerit; applicetur Centro A Regula; & per Singulas successivè Notas Lineæ producantur; quæ, si opus fuerit, etiam trans Centrum protrahendæ erunt, ut oppositas Horas indicent.

3. Si verò non fuerit Centrum; per Singulas hasce Notas, singulæ ducantur Lineæ, Substylari Parallelæ: quæ Lineæ erunt Horariæ. Stylus autem, ad distantiam QÆ Elevatus, Substylari Parallelus imminebit.

4. Lineæ Horariæ Numeris suis hoc modo distinguendæ sunt. A Meridiana incipe, eique XII affige: & inde cæteris Lineis prout serie suâ jacent, à partibus Occidentalibus asscribe XI, X, IX, VIII, &c. ab Orientalibus I, II, III, &c.

5. In hoc autem punctum omne tuleris, modò plures Lineas non descripseris, quàm quæ aliquo Anni tempore usu veniant: Quod Instrumento Projectionis Horizontalis invenitur: In quo inscribuntur tantum Meridianus Æquinoctialis, Tropicus uterque & quantum è Circulis Horariis inter Tropicos intercipitur: Centro autem affigitur Diameter mobilis BAC, unà cum Radio perpendiculari A 90, in gradus suos diviso; ut in Schemate videre est.

Instrumento



Instrumento autem sic utimur. Gradus Obliquitatis, puncto delebili O, notetur in Radio: quem Gradui Declinationis in Margine affigas, (à Partibus quidem congruis, si Planum Inclinet; Oppositis verò, si Reclinet:) Deinde, per Extremitates utrasque Diametri mobilis, punctumque Obliquitatis O, Arcum Circuli COB ductum puta: Arcus iste, à Partibus Convexis, Planum Inclinans representabit; à Concavis autem, Reclinans; Ideoque Horas Plano ritè describendas exhibebit.

Exempli gratiâ. Sit Planum Australe in Ortum Declinans gradus 42°, 30′. Inclinans gradus 24; vel Planum Boreale Declinans in Occasum 42°, 30′. Reclinans 24°. Applicetur Radius gradui 42°, 30′, inter Ortum & Meridiem; notetur etiam Obliquitas Litera O. Deinde per tria hæc Puncta data, B, O, C, Arcum Circuli occultè ductum puta. Arcus iste à parte Convexa (hoc est, in Australi Inclinanti) ab Exortu Solis usque ad Primam Pomeridianam Horas indicabit: à Parte autem Concavâ (hoc est in Plano Boreali Reclinanti) à Secundâ Pomeridiana ad Occasum.

Observandum est Diametrum nobilem Murum aut Planum Erectum representare, cui Declinatio illa 42°, 30′, contingit.

Et ad hanc Methodum in omnimodis aliis Plani Positionibus vel Declinatione vel Obliquitate diversis hoc Instrumento utendum est.

6. Si Lineæ alicui Horariæ, sive Æquinoctialis sive ipsius Scioterici, non sit, intra Chartam, *Contingentis* Occurrendæ locus, adeo ut non deter Punctum Interfectionis

sectionis cui congruè ducatur Linea: Contingentem utcunque in puncto q seca, ductâ Substylari parallelâ, quæ datam quoque Lineam Horariam secet: Sic Tres Lineæ dantur, scilicet ÆQ, Centri Æquinoctialis à Contingente Distantia; AQ Centri Scioterici à Contingente Distantia; & Parallelæ Segmentum inter Contingentem & Lineam Æquinoctialis horariam datam: Ex his Quarta invenitur, nempe Segmentum ejusdem Parallelæ inter Contingentem, Lineamque Horariam Scioterici quæsitam. Ut in Schemate *Cap.* X. *Sect.* 5.

ÆQ. AQ :: qæ. qa.
Vel AQ, ÆQ :: qa. qæ.

7. Quoniam in Sciotericis fortasse VIII[i] *Capitis*, Punctum S Centro nimis propè inciderit, adeo ut Substylaris minus certo duci queat: Angulum CAS è Canone Triangulorum hoc modo invenire potes.

Ut Sinus semi-summæ, Complementi Altitudinis Polaris, & Obliquitatis;
Ad Sinum Differentiæ eorundem ::
Ita Tangens semi-complementi Declinationis;
Ad Tangentem *Arcus Primi*.

Rursus,
Ut Sinus semi-summæ, Polaris Altitudinis, & Obliquitatis:
Ad Sinum Differentiæ eorundem ::
Ita Tangens semi-complementi Declinationis;
Ad Tangentem *Secundi Arcus*.

Tum;

Tum, si Altitudo Polaris Obliquitatem excedat; Arcuum Differentia æqualis erit Angulo CAS: sin minùs, utrorumque summa.

8. In Sciotericis etiam *Capitum* VIII[i] & IX[i], si Angulus CAM pro Meridiano, inventu difficilior fuerit: dicito

Rad. Sin: Obliquitatis :: Tang: Declin.
Tang: CAM.

SOLI DEO LAUS ET GLORIA.

F I N I S.

Hæc Figura ita aptanda est figuræ pag. 40. ut circa ipsius Centrum A converti possit.



Hæc Figura agglutinanda est à tergo figuræ CC, prout dirigitur Cap. IX. Sect. 2.



Hæc Figura agglutinanda est à tergo figuræ AA, Cap. 6. ut lineis similiter notatis directè subsist.



39

25.

194

6x